§IV3 EDIZIONE DELLA DOCUMENTAZIONE SINODALE

§IV3a 1290, BERNARDO DI AGDE

COSTITUZIONI DI BERNARDO DI AGDE
1290, Padova

Archivio della Curia vescovile di Padova, Miscellanea *Feudorum*, I, 12 bis, fasc. 1, f 80r-81r.

Già edito in: F.S.Dondi dall'Orologio, *Dissertazione ottava sopra l'istoria ecclesiastica padovana*, Padova 1815, documento XXXIII, p 65-69; L.Gaffuri, *Un tentativo di riforma dei costumi del clero a Padova nel tardo Duecento*, "Rivista di storia della chiesa in Italia", 41 (1987), p 445-472.

(1) (Sull'aspetto e il comportamento dei chierici)

(80r) Preterea, ut clerici qui in se debent esse regula et aliis exemplum et speculum honestatis, clericaliter et non laycaliter vivant, cum scriptum sit "maledictus homo qui duabus viis terram ingreditur"[10], hac generali synodo monemus sollempniter semel, secundo et tercio omnes et singulos nostre iurisdicioni subiectos, tam hic presentes quam absentes, qui haberi pro clericis et gaudere intendunt privilegio clericali, ut de cetero clericaliter vivant, honeste incedant, coronam in capite et tonsuram in capillis congruentem patentibus auribus more clericorum, vestes et habitum clericalem continue deferentes, et alia faciant et observent que in veris clericis requiruntur. Artes mecanicas seu mercaciones non exerceant, officia et stipendia secularia non recipiant, sed ab hiis et aliis quibus clericalis deformetur honestas prorsus abstineant. Quicumque vero predictis vel eorum alicui contraire vel facere deprehensus fuerit vel inventus, eum nec habebimus pro clerico nec etiam defendemus.

(2) (Sull'ordinazione dei chierici)

Ad hec quia "qui non intrat per hostium in ovile sed aliunde conscendit aut fur aut latro est"[11], evangelica scriptura testante, "volentes oves nostras cognoscere et ut cognoscant nos"[12], nostra presenti constitucione sanccimus ne aliquis qui sub nostra iurisdicione ascribi militie clericali seu alios quoscumque ordines ecclesiasticos recipere desiderat vel tenetur, ab alio quam a nobis vel de nostra speciali licentia, ita quod licentia viccarii nostri in hac parte non valeat nobis in diocesi nostra existentibus, predictam primam tonsuram vel ordines recipere audeat vel attemptet; monentes publice et sollempniter semel, secundo et tercio peremptorio omnes abbates et prelatos nostre iurisdicioni subiectos ac eis districte sub

excommunicationis pena, quam ex nunc quam ex tunc, tam in ordinatorem quam ordinatum, in hiis scriptis proferimus eosque incurrere volumus ipso facto, districte precipimus et mandamus, ut de cetero nemini primam clericalem tonsuram vel ordinem ecclesiasticum conferre presumant, nisi in casibus a iure concessis, absque nostra, ut prediximus, licentia speciali. Quicumque vero fuerit aliter ordinatus non habebitur pro ordinato nec ordinationem huiusmodi acceptamus[a].

(3) (Contro i simoniaci)

Quam sit detestabile, quam orrendum nephandum vicium symonie ex sacrarum scripturarum documentis evidenter ostenditur[13], et ideo volentes libenter hanc pestem mortiferam quantum possumus prohibere, hoc perpetuo edicto statuimus ac etiam tam[b] sub excommunicationis pena quam maledicionis eterne districtius inhibemus ne aliqua ecclesiastica secularisve persona audeat vel attemptet pro aliqua ecclesia vel quocumque beneficio ecclesiastico pro se seu aliis, antequam sit ipsius pacificam possessionem adepus, obtinendo, seu quacumque re alia spirituali pro se [....][c] iniustitia[d] aut pro iniustitia pro aliis consequenda, pecuniam aliquam vel rem aliam dare vel promittere[e] seu apud quemcumque deponere quoquomodo. Quod si forte quis, maligno ductus spiritu, contra huiusmodi no[stram] constitucionem facere vel attemptare presumserit, preter maledicionem omnipotentis Dei, tam dantem et promittentem quam recipientem, tam deponentem quam depositarium, ex nunc quam ex tunc, in hiis scriptis excommunicacionis vinculo innodamus et eum tamdiu volumus excommunicaciones sententie subiacere donec suum nobis confiteatur reatum et beneficio ac omnibus sic obtentis expresse renunciet et duplum eius quod dederit, promiserit seu deposuerit, restituat et persolvat illi ecclesie in qua et cuius ignominiam hoc fiebat seu alias in usus pauperum prout nobis iustum videbitur convertendum et demum absolucionis beneficium meruerit obtinere.

(4) (Sui religiosi che non possono possedere beni)

Item excommunicamus personas religiosas proprietarias seu proprium habentes, nisi restituerint infra mensem in manibus sui prelati.

(5) (Sui limiti della giurisdizione del clero curato riguardo i sacramenti)

Ne ab illis videatur pecandi causa, invitatio, materia et exemplum procedere a quibus peccatorum est venia postulanda, idcirco providemus, statuimus et irrefragabiliter diffinimus quod nullus presbyterorum, capellanorum vel clericorum Padue sit ausus egredi vel exire

[a] *da* ut de cetero nemini *a* acceptamus *aggiunto al margine sinistro.*
[b] tam *aggiunto in sopralinea*.
[c] *lacuna di circa quattro lettere per inchiostro scolorito*.
[d] *da* pro *a* iniustitia *aggiunto in sopralinea*.
[e] vel promittere *aggiunto in sopralinea*.

parochiam propriam et aliam ingredi ad audiendum confessiones, dandam eucarestiam, conferendum baptisma vel aliquod aliud [ecclesia]sticum sacramentum aut sponsam alterius parrochie in suam ecclesiam recipere absque iuxt[...][f] [il]ius vel illorum verbo et licentia sacerdotis vel sacerdotum cuius quocumque est ver[bum] et licen[tia impetranda]. Qui vero contra predicta vel aliquid predictorm venire vel facere presumpserit [...] ipso facto excommunicationis vinculo innodatus [...]ratus[g] fuerit, ob hoc restituat et pro pena decem [sol]dos parvorum, distribuendos prout nobis placuerit [ordina]re, persolvat antequam a dicta excomminicatione absolvatur.

(6) (Sulla partecipazione dei chierici ai funerali)

(80v) Item statuimus quod nullus presbyterorum predictorum, capellanorum et clericorum sit ausus quovis modo ad alienam ecclesiam, monasterium vel cenobium aut alium locum secularem vel religiosum ire vel accedere ad funus alicuius vel ad aliquod officium funeris sive nocturnas exequias vel vigilias, nisi fuerit vocatus a presbytero vel rectore illius ecclesie vel parrochie, loci vel monasterii seu pro voluntate heredum defuncti specialiter invitatus. Qui vero contrafecerit, excommunicatus ut supra, ab illa excommunicacione non possit absolvi nisi prestet restitucionem lucri et pro pena solverit decem soldos parvorum, prout nobis videbitur convertendum. Qui vero aliter invitaverit ad exequias, quam superius est expressum, penam predictam venientis presbyteri vel clerici non invitati ipso facto incurrat. Si vero sacerdos vel clericus forensis fuerit similiter ad predicta, nec veniat nec accedat nisi fuerit invitatus ut superius est premissum; et si contrafecerit nullus presbyterorum, capellanorum seu clericorum Padue ulterius eum recipiat in ecclesia sua modo aliquo vel ingenio ad aliquod officium celebrandum. Si quis vero, postquam hoc sibi innotuerit, contrafecerit, sit excommunicatus ut supra donec dictus clericus vel sacerdos forensis solverit dictam penam vel ipse huius precepti transgressor pro eo. Invitatorum vero canonicorum seu capituli maioris ecclesie paduane familiares, sicut nunc ipsi canonici, non subiacent dictis penis.

(7) (Sulla frequenazione delle taverne da parte dei chierici)

Providimus etiam ordinamus quod nullus clericorum vel sacerdotum, monachorum vel conversorum propter potum vel ludum seu causam aliam inhonestam intret tabernam quamcumque aut ob causas predictas more aliorum obvenientium vel accedentium in porticu seu locu alio se recipiat circa eam. Qui vero contrafecerit, in viginti soldos parvorum pro qualibet vice condempnatus sit ipso facto. Et quilibet clericus vel sacerdos teneatur quemcumque viderit vel alias scierit clericum vel sacerdotem transgressorem istius precepti

[f] *lacuna a causa di un foro di circa tre centimetri.*
[g] *lacuna per sbiadimento dell' inchiostro per circa dieci lettere.*

accusare infra terciam diem, cui cum iuramento credatur. Medietas[h] vero banni sit accusantis et alia medietas distribuatur prout nobis videbitur ordinandum, aliqui minime remittenda. Condempnatus vero infra decem dierum spatium, ab accusacionis tempore numerandum, dictam condepnacionem persolvat et si solvere pretermiserit excommunicatus ⟨ut supra, nullatenus absolvatur nisi prius solverit cum quinque soldis penam predictam. Qui autem ut supra accusare pretermiserit transgressorem et transgressores huiusmodi, ipso facto excommunicatus auctoritate prefata, numquam absolvatur nisi prius culpam suam recognoverit et penam viginti soldorum solverit et ipsum vel ipsos accusaverit quos accusare pretermiserat.

(8) (Sulla precedenza della chiesa parrocchiale)

Item ad honorem Dei et gloriose virginis Marie matris eius statuimus et ordinamus atque precipimus et mandamus quod quilibet prelatorum et capellanorum civitatis sub[iec]torum ac diocesis Paduane teneantur et debeant pulsare vel pulsari facere campanam sue ecclesie ora complectorii post sonum campane maioris ecclesie, ad excitandum hominum corda ad salutacionem predicte virginis gloriose; nec audeat aliquis, in diebus in quibus fit sollempne baptisma, pulsare campanas nec officium incipere antequam campane maioris ecclesie pulsentur. Quicumque vero ad huiusmodi mandati observacionem se reddiderit negligentem, ab execucione officii sui ipso facto noverit se suspensum.

(9) (Sui chierici concubinari)

Preterea, quia perniciosum est eciam et orrendum quod aliquis sacerdos vel clericus cum inquinatis manibus tactu illicito mulierum sumere et tractare debeat sacratissimum corpus et sanguinem domini nostri Iesu Christi, hac generali synodo sollempniter monemus omnes et singulos prelatos et clericos tam religiosus quam seculares, cuiuscumque ordinis et status existant, tam assentes quam presentes, quod nullus ab hodierna die in antea audeat vel presumat concubinam vel focariam sive mulierem aliam quamcumque suspectam teneri in domo vel aliter publice nec aliquatenus cohabitare eidem. Quod si ammonicionis nostre et mandati huiusmodi aliqui se contemptores reddiderint [aut r][i]ebelles, officio et beneficio noverint se suspensos et preter penam aliam in constitucionibus domini [Latini e]piscopi ostiensis et velletrensis, apostolice sedis legati, contentam et per eum editam contra tales[14].

[h] *segue* s *espunta.*
[i] *questa lacuna e le seguenti sono dovute al foro già segnalato al recto dello stesso foglio.*

(10) (Sull'accesso ai monasteri femminili)

[...] omnes et singulos clericos supradictos ac districte sub excommunicacionis pena mandamus quod nullus [...] vel secularium claustra monasterii monialium intrare nec monasteria ipsa frequenta[re pr]esumant absque nostra licentia speciali.

(11) (Sull'uso delle armi da parte dei chierici)

(81r)[j] Quia clericorum arma debent esse oraciones et lacrime et non ferrum, statuimus et ordinamus ac inviolabiliter precipimus observari quod nullus clericorum civitatis Padue et diocesis audeat vel presumat alicuius generis arma portare per civitatem vel per villas etiam diocesis Paduane. Quicumque vero contrafecerit et inventus fuerit cum armis, nomine pene solvat et solvere teneatur illa banna et pecuniarum quantitates que[k] in statutis communis Padue continentur, ex nunc pro ex tunc scriptis presentibus condempnamus.

(12) (Sul gioco d'azzardo)

Quia non decet clericos, ecclesie Dei ministros, ludis vanis et turpibus, qui etiam laycorum famam denigrant, intendere, sed libris et scripturis sacris vacare, hac synodo generali statuimus quod nullus clericorum Padue in civitate vel villis diocesis nostre ludere audeat in publico ad ludum aliquem cum taxillis vel alias inhonestum ubi denarii ammittantur, sub pena soldorum viginti. Et quilibet sit accusator et teneatur accusare quoscumque viderit sic ludentes et habeat medietatem banni.

(13) (Sulle vesti dei chierici)

Item, quia amictus corporis et incessus[l] hominis de illo indicant, Salomone testante[15], mandamus inviolabiler observari quod nullus sacerdotum sine cappa, tabardo vel alio supervestimento honesto[m] incedat per civitatem.

(14) (Sul culto a Maria)

Item, quia mater et advocata omnium est ab hominibus honoranda, ordinamus et de cetero precipimus inviolabiliter observari quod omni die beate Marie officium dicatur in qualibet ecclesia cum tribus leccionibus diebus feriatis, in quibus diebus sabati missa de sancta Maria sollempniter celebretur, nisi festum aliud sollempne in die sabati occurrerit.

---

[j] *il foglio 81r inizia con un protocollo, depennato, di un atto poi registrato al verso dello stesso foglio.*
[k] que *aggiunto in sopralinea.*
[l] *nel testo* incensus.
[m] honesto *aggiunto in sopralinea.*

(15) (Sulle festività di san Francesco e san Domenico)

Item, cum beati Franciscus et Dominicus ecclesiam Dei illuminaverint gloriosis meritis et exemplis et ideo digni sint omni reverentia et honore, districte mandamus diem festivitatis eorum in civitate et diocesi Paduana devotissime celebrari.

§IV3b 1339, ILDEBRANDINO CONTI

COSTITUZIONI DI ILDEBRANDINO CONTI
7 aprile 1339, Padova

Biblioteca apostolica vaticana, Vaticano latino 4882, f 5r-14v.

Già edito in: G.D.Mansi, *Sacrorum conciliorum et decretorum collectio nova …*, XXV, Venezia 1782 [rist. anast., Graz 1961], col 1131-1144, ripreso da F.S.Dondi dall'Orologio, *Dissertazione ottava sopra l'istoria ecclesiastica padovana*, Padova 1815, documento LXXIX, p 132-146.

In nomine Domini nostri Iesu Christi et gloriose virginis Marie matris eius et omnium sanctorum et sanctarum Dei amen. Hee sunt constitutiones reverendi patris domini Ildebrandini permissione divina episcopi paduani.

Quia secundum varietates temporum mutationem recipiunt constitutiones humane, congruum est ut temporum conditione mutata constitutiones etiam immutentur. Nos itaque Ildebrandinus permissione divina episcopus paduanus, recensitis constitutionibus bone memorie domini fratris Iohannis[n] [16] olim episcopi paduani antecessoris nostri quas solas in nostra paduana civitate et diocesi invenimus observari, prospeximus quod nonnulle earum modernis temporibus erant superflue et alique declarationibus et suppletionibus indigebant, plures vero erant utiles et salubres. Eapropter superfluas amoventes, dubias declarantes atque supplentes et utiles approbantes de consilio venerabilium virorum dominorum Georgii de Ianua, Leonardi de Carraria et Perenzani de Carraria canonicorum ecclesie paduane in generali synodo totius cleri paduani specialiter ad hoc congregata presentium, ac etiam venerabilis viri domini Barufini de Cremona canonici paduani, licet in predicta synodo personaliter non existentis, quam pro tractandis negotiis nostre cathredalis ecclesie paduane et aliarum ecclesiarum civitatis et diocesis paduane, ipsisque auctore domino utiliter promovendis ad hanc presentem diem duximus congregandam; constitutiones infrascriptas renovamus, de novo constituimus et ordinamus, mandantes eas prout inferius continetur per nostros subditos inviolabiliter observari. Precipientes quod omnes alie constitutiones predecessorum nostrorum vel nostre, que non reperirentur scripte in libro presentium constitutionum, pro vacuis, (5v) revocatis, cassis et irritis habeantur.

[n] *nell' interlinea sopra le parole* fratris Iohannis *è scritto* Ildebrandini *di mano posteriore.*

1[o] De reverentia ad fidem catholicam.

Admonemus omnes tam clericos quam laicos, tam mares quam feminas nostre civitatis et dyocesis quod fidem sanctam catholicam et omnia divina statuta reverenter[p], teneant et observent et quod in omnibus et per omnia libertatem ecclesiasticam studeant defensare.

2 De trahentibus clericos ad iudicium seculare.

Statuimus quod nullus clericus vel secularis persona trahat alium clericum sive ecclesiasticam personam ad iudicium seculare; alioquin nisi in primo precepto facto in foro seculari post decem dies destiterit, quod ipso facto sententiam excominicationis incurrat**.**

Quia per mutationem status mutare forum nonnulli layci arbitrantur, quidam eorum, dum accusati sunt seu condempnati de criminibus per iudicem secularem, ut eorum manus effugiant habitum religionis assumunt, ex quo graves questiones et scandala non modica oriuntur; ideoque volentes huiusmodi questiones et scandala amovere, statuimus ut nullus abbas vel prior, abbatissa seu priorissa alicuius monasteri dyocesis paduane aliquem conditionis predicte subiectum iurisdictioni civitatis Padue intra iurisdictionem nostram ad professionem recipiat, sive ad habitum regularem. Quod si contrafecerint hac generali monitione premissa denuntiamus ipsum nullatenus defendendum. Hoc idem in hiis qui debita contraxerunt ante status mutationem volumus observari.

3 De utentibus falsis probationibus in causis que in (6r) curia ecclesiastica ventillantur[q].

Statuentes prohibemus ne aliquis clericus vel laycus in curia[r] [17] vel foro iudiciali in causis spiritualibus vel matrimonialibus aut etiam in aliis causis, licteris vel instrumentis, testibus aut aliis probationibus falsis scienter utatur. Addicientes quod si aliqui contra hoc nostrum salubre statutum venire temptaverint aut falsum instrumentum fecerint aut fieri procuraverint, excommunicationis incurrat sententiam ipso facto. Et idem statuimus de advocatis et subornatoribus testium.

4 De vita et honestate clericorum.

Hac generali synodo monumus solempniter semel, secundo et tertio omnes et singulos nostre iurisdictionis subiectos tam hic presentes quam absentes qui haberi pro

---

[o] *le costituzioni sono state numerate, da mano più tarda, con numeri romani posti per lo più non accanto al titolo ma alle iniziali, decorate a penna, delle varie costituzioni.*
[p] *nel testo* reverentur.
[q] rubrica *aggiunto da mano posteriore.*
[r] *al margine destro* adde infra a cartis 88 "quia P." *di mano posteriore.*

clericis et gaudere intendunt privillegio clericali ut de cetero clericaliter vivant et honeste incedant, coronam in capite et tonsuram in capillis congruentem, patentibus auribus more clericorum, vestes et habitum clericalem continue deferentes et alia faciant et observent que in veris clericis requiruntur. Artes seu mercationes illicitas non exerceant, offitia et stipendia secularia non recipiant. Nullus eorum ad consilia, in quibus negotia bellica vel alia clericali ordini indecentia tractantur, accedat. Offitia clericis incompetentia non recipiant, set ab hiis et aliis quibus clericalis deformetur honestas prorsus abstineant. Quicumque vero predictis vel alicui eorum contraire vel facere deprehensus fuerit vel inventus, eum nec habebimus pro clerico nec etiam defendemus.

(6v) Item statuimus ut nullus religiosus deponat proprium sue religionis habitum assumendo habitum seculare vel habito trasformato possit licentius et liberius nepharia perpetrare. Volentes quod omnes tales trasgressores ipso facto sententiam excominicationis incurrant.

Quia peccatis exigentibus incontinentie vitium clericos occupavit quod filii progeniti manifeste testantur, idcirco iniquitates ipsorum volentes quantum possumus cooperire, statuendo precipimus ut nullus clericus cuiuscunque status seu conditionis existat filium ex fornicatione progenitum post se ducat nec etiam dictis sacerdotibus serviant in divinis et altaribus, cum eisdem administret, ne ipsius incontinentie vitium ipso filio attestante omnibus revelent. Quod si quisquam huius contitutionis nostre trasgressor extiterit, in quadraginta soldis venetorum parvorum pro qualibet vice sententialiter condempnamus, medietatem cuius condempnationis concedimus accusanti seu ad nostram notitiam producenti.

5 De clericis moram trahentibus extra dyocesim paduanam.

Cum aut nonnulli presbiteri et clerici in nostra dyocesi benefitia obtinent, extra nostram iurisdictionem evagentur, ita quod nobis pro certo constare non potest ubi ipsos requiri seu citari mandemus, omnes et singulos qui taliter se suis benefitiis absentarunt primo, secundo et tertio perhemptorie in hac generali synodo monemus et presenti constitutione statuimus et mandamus quatenus infra sex mensium spatium a pubblicatione presentis constitutionis ad sua benefitia redire debeant, deservituri per se suis benefitiis prout superius est expressum[18]. Alioquin contra huiusmodi absentes procedemus prout equitas suadebit ac utilitati ecclesiarum et eorum saluti videbimus expedire.

(7r) De residentia clericorum[s].

Quia benefitium ecclesiasticum propter offitium divinum confertur et fatis videtur indignum ut clericus benefitium percipiat et ecclesie, a qua benefitium ipsum habet, non serviat, hoc generali edicto monemus solempniter semel, secundo et tertio omnes et singulos

[s] De residentia clericorum *di mano posteriore, forse la stessa di cui alla nota [a].*

clericos iurisdictioni nostre subiectos benefitium ecclesiasticum obtinentes ac sub excomunicationis pena districte precipimus ut quilibet in ecclesiis suis, in quibus beneficiati sunt, debeant residere ipsis ecclesiis sicut benefitii onus requirit servientes debite in divinis, nisi cum eis super hoc dispensatum fuerit, vel a nobis de non residendo licentiam obtinuerint specialem. Quos nichilominus non residentes volumus contribuere et servire residentibus et precipue sacerdotibus iuxta suorum benefitiorum facultates, ne ipse ecclesie divinis obsequiis defraudentur.

6 De rebus ecclesie non alienandis.

Statuimus quod nullus vendat, permutet, alienet quocumque alienationis titulo, pignori seu ypoteche obliget calices, cruces, vasa argenti, libros, paramenta et quecumque ornamenta ad ornatum altarium et ecclesiarum seu divinum cultum pertinentia in nostra ecclesia cathredali sine licentia nostra ac archipresbiteri et capituli nostri paduani; in aliis autem ecclesiis seu monasteriis civitatis et diocesis paduane sine nostra vel successorum nostrorum licentia et auctoritate. Contrarium autem facientes ac res predictas vendentes, permutantes, alienantes, pignorantes seu ypotecantes, necnon predictarum rerum emptores ac quocunque de predictis modis receptores et super illis peccunia seu res alias mutuantes excomunicationis sententiam, quam ex nunc in ipsos in hiis scriptis proferimus, incurrere volumus ipso facto.

Ex frequentibus querelis quorundam laycorum didicimus quod nonnulli (7v) clerici ac persone ecclesiastice tam benefitiati quam etiam qui non sunt benefitia ecclesiastica assecuti nostre iurisditioni subiecti tam principaliter quam fideiussorio nomine se obligant apud eos qui dum in iudicio confessi fuerint vel convicti ut suis illudant creditoribus se bonis cedere profitentur, allegantes quod inanis est actio quam inopia debitoris excludit; nos igitur, ipsorum fraudi et malitie volentes salubriter obviare, statuimus ut nullus clericus cuiuscunque status vel conditionis existat nec persona ecclesiastica de cetero se obliget apud quemquam, ultra quam facultatum suarum se vires extendant; quod si fecerint et in iudicio convicti vel confessi supradictam exceptionem ausi fuerint allegare in ea perseverando, eo ipso a perceptione fructuum benefitiorum suorum presentis constitutionis vigore decernimus manere suspensos et ipsos fructus creditorum utilitatibus volumus applicari. Qui si durante huiusmodi suspensione aliquid de fructibus ipsis attingerint quocunque quesito colore vel in ipsa suspensione perseveraverit per sex menses animo indurato, eo ipso excommunicationis sententiam incurrant et nichilominus procedemus ad privationem benefitiorum ipsorum si in ipsa sententiam excomunicationis perseveraverint, prout equitas suadebit. Predicta autem locum habere volumus non tantum in contrahendis debitis set etiam in contractis.

7 De inventario de bonis ecclesiarum conficiendo.

Ut bona ecclesiarum conserventur illesa, hac synodali constitutione duximus statuendum ut quicumque prelatus aut rector alicuius ecclesie ad rectoriam seu dignitatem de cetero assumetur, sub pena (8r) decem librarum parvorum postquam possessionem fuerit adeptus corporalem, infra spatium unius mensis bonorum omnium mobilium monasterii, abbatie seu prioratus vel ecclesie ad cuius regimen assumetur inventarium confici faciat per publicum instrumentum ut per hoc appareat utrum bona eius administrationi commissa minuantur seu etiam augeantur, et infra ipsum mensem ipsius inventarii copiam nobis debeat presentare.

8 De monasteriis monialium non intrandis.

Statuimus quod nullus religiosus, nullus clericus, nullus laycus cuiuscunque status, ordinis vel conditionis existat, personis et casibus infrascriptis exceptis, audeat intrare aliquod monasterium monialium civitatis seu dyocesis paduane nec in chorum ecclesiarum que sunt in monasteriis supradictis neque in claustra vel alias clausuras prefatorum monasteriorum. Statuimus etiam atque precipimus abbatissis, priorissis et singulis monialibus prefatorum monasteriorum quod predictos intrare prohibitos ad ipsa monasteria et loca predicta non recipiant nec admictant ipsisque non loquantur nisi in casibus infrascriptis. Contrarium autem facientes excomunicationis sententiam, quam ex nunc in omnes predictos religiosos, clericos, laycos, abbatissas, priorissas et moniales in hiis scriptis ferimus, incurrere volumus ipso facto. Medicis autem pro curis faciendis, artificibus pro operibus exercendis, advocatis pro consiliis prebendis in causis monasteriorum, notariis pro instrumentis conficiendis et testibus tunc opportunis, visitatoribus sive generalibus (8v) sive spetialibus aliisque sacerdotibus ad hoc spetialiter deputatis seu deputandis tam pro divinis offitiis celebrandis quam pro confessionibus audiendis quam pro sacramentis ecclesiasticis ministrandis, cum casus et necessitas exegerit, intrandi ad loca predicta licentiam impartimur, ita tamen quod soli cum aliqua moniali, casu confessionis excepto, nullatenus conversentur. Et cum audiunt confessiones monialium non infirmarum, audiant eas ad aliquam fenestram ferrata pariete intermedio existente. Et cum audiunt confessiones infirmarum, audiant eas in tali loco quod due saltem moniales ad hec per abbatissam deputande videre et non audire valeant utriusque personam. Predicti etiam visitatores, nisi magna necessitas exigat, clausuram interiorem monasteriorum non intrent, set cum uno adminus honesto sotio in loco non suspecto moniales examinent et suum offitium exerceant.

Inhibemus etiam sub pena excomunicationis quod mulieres alias cuiuscunque conditionis, illis exceptis quarum honesto et familiari obsequio utuntur pro necessitatibus monasteriorum et monialium predictarum, infra clausuram prefatorum monasteriorum non

admictant.

Concedimus etiam quod in solempnitatibus sanctorum, sub quorum nomine ecclesie prefatorum monasteriorum sunt dedicate, et in ipsarum ecclesiarum consecrationibus religiosi, clerici et layci ac mulieres possint intrare ecclesias supradictas et prima dumtaxat claustra predictorum monasteriorum; et tunc abbatisse et moniales in loco decenti se teneant ita quod ipsarum honestas illesa servetur. Concedimus etiam quod si abbatisse seu moniales supradicte pro aliqua honesta causa et spetialiter utilitate monasteriorum contingente aliquibus religiosis, clericis seu laycis[t] loqui voluerint, dummodo predicti eundi ad predicta monasteria (9r) a nobis licentiam obtinuerint seu nostro vicario in absentia nostra, possint eis loqui, et honesta ac utilia negotia tractare cum eis. Et si abbatissa loqui voluerit, adhibeat secum duas adminus honestas et antiquas moniales que audiant ea que loquentur. Si vero monialis loqui voluerit, hoc faciat de licentia abbatisse que, si licentiam loquendi concesserit, teneatur ei dare duas sotias honestas et antiquas que similiter audire possint ea que loqui voluerint; huiusmodi autem locutio semper fiat per abbatissas et moniales ad fenestras ferratas et aliquo pariete intermedio.

9 Qualiter confessiones per presbiteros audiri debeant.

Sancimus quod sacerdotes regulares et seculares in ecclesiis audientes confessiones mulierum non audiant eas in angulis ecclesiarum nec in locis occultis, set in tali parte quod utriusque persone videri possint comuniter ab hiis qui fuerint in ecclesiis presentes. Et confessiones mulierum non infirmarum alibi quam in ecclesiis non audiant. Qui vero accedunt ad audiendas confessiones mulierum infirmarum audiant eas in tali loco quod sotius sacerdotis et alie persone in domo mulieris existentes videant sacerdotis et mulieris confitentis personam, et ita remote existant quod confitentis verba audire non possint. Contrarium autem facientes viginti librarum pene volumus subiacere.

10 De celebratione missarum.

Ne sacratissima offitii misse devotio, in qua fidei christiane fundamentum consistit, ex cotidiana pluralitate apud christicolas minuatur, in hac generali synodo statuimus et inviolabiliter observari precipimus ne aliquis presbiter in civitate vel dyocesi nostra bis in die missarum solempnia celebrare presumat, exceptis casibus a iure permissis. Qui vero (9v) contrafecerit quadraginta soldos parvorum persolvat, cuius pene medietatis sit illius qui eum studuerit accusare.

[t] *nel testo* laicys

11 De custodia eucharistie et qualiter ad infirmum deportetur.

Statuimus preterea, ne propter incuriam sacerdotum divina indignatio gravius exardescat, ut a sacerdotibus eucharistia in loco singulari, mundo et clave signato prope altare seu iuxta semper honorifice collocata devote ac fideliter conservetur ne ad illam temeraria manus possit extendi. Hoc idem dicimus et mandamus de custodia adhibenda de chrismate et oleo cathecuminorum et etiam infirmorum. Adicientes ut, cum sacra hostia ad infirmum portatur, sacerdos indutus superpellitio seu cotta honorifice ferat et manifeste superposito velamine mundo, et campanula et lumine precedente, cum sit candor lucis eterne, ut ex hoc apud omnes fides et devotio augeatur. Prohibentes omnino ac sub pena excomunicationis mandantes ne quis ipsum sacrum corpus ad infirmum occulte seu absconse deferat, sic ut a quibusdam audivimus impudenter fieri, portando ipsum sub cappa vel indumento alio. Si vero in reditu ab infirmo in vase corpus Christi non fuerit, lumen extinguatur et campanula non pulsetur ne ydolatrare aliqui videantur. Precipimus etiam quod sacerdos deferens ad infirmos corpus Christi numquam solus incedat set semper secum aliquem socium clericum, et si clericum habere non possit socium laycum secum ducat.

12 De ministrantibus sacramenta extra suas parochias.

Ne ab illis videatur peccandi causa, invitatio, materia et exemplum procedere, a quibus peccatorum est venia postulanda providimus, statuimus et irrefragabiliter diffinimus quod nullus presbiterorum, capellanorum vel clericorum (10r) Padue sit ausus egredi vel exire parochiam propriam et aliam ingredi ad audiendum confessiones, dandam eucharistiam, conferendum batisma vel aliquod aliud ecclesiasticum sacramentum, aut sponsam alterius parochie in sua ecclesia recipere absque iusta causa, et illius vel illorum verbo et licentia sacerdotis vel sacerdotum cuius quorumque est verbum et licentia impetranda. Qui vero contra predicta vel aliquod predictorum venire vel facere presumpserit, quidquid obventionis ob hoc perceperit proprio sacerdoti resignet et loco pene viginti soldos parvorum distribuendos prout nobis placuerit in usu parvorum qualibet vice persolvat.

13 De euntibus ad funera absque invitatione.

Statuimus quod nullus presbiterorum, capellanorum et clericorum sit ausus quovis modo ad alienam ecclesiam, monasterium vel cenobium aut alium locum secularem vel religiosum ire vel accedere ad funus alicuius vel ad aliud officium funeris sive nocturnas exequias vel vigilias, nisi fuerit vocatus a presbitero vel rectore illius ecclesie vel parochie, loci vel monasterii, seu pro voluntate heredum defuncti specialiter invitatus. Qui vero contrafecerit, pro pena quinque soldos parvorum prout nobis videbitur in usus pauperum convertendos solvere teneatur.

14 De celebratione festi beati Danielis martiris.

Festum beati Danielis martiris nostri patroni singulis annis in nostra paduana ecclesia futuris celebrari temporibus in perpetuum debitis devotione ac reverentia cupientes, monemus omnes et singulos archipresbiteros et parochiales presbiteros nostre iurisdictioni subiectos, ac districte in virtute sancte obedientie sub excomunicationis pena mandamus quatenus festum predicti (10v) martiris gloriosi, quod celebratur tertia die dominica mensis maii, in suis kalendariis debeant annotare, ac ipsa die festi cum populo sibi commisso sicut devote poterunt, legitimo impedimento cessante, venerandum corpus supradicti patroni nostri visitare procurent, nec expectent de cetero ad predictam solempnitatem per alios invitari.

15 De puerorum baptismo non differendo.

Quia pungunt nos acriter aculeo doloris interius quedam verba que de quibusdam parvulis absque salutifero baptismatis sacramento ob parentum ac capellanorum suorum negligentiam culpabilem decedentibus gratia divine visionis privatis audivimus, nos tanto periculo animarum et dampno inestimabili providere Deo propitio totis desideriis cupientes, hac generali synodo monemus solempniter semel, secundo et tertio omnes et singulos presbiteros et parochianos nostre civitatis et diocesis tam presentes quam absentes, quibus cura imminet animarum, et eis sub pena ecomunicationis quanto districtius possumus precipimus et mandamus quatenus parochianos et populum sibi commissum utriusque sexus in ecclesiis suis seu alibi, ubi et quando maior convenerit populi multitudo, ex parte et auctoritate nostra moneant solempniter et sub pena excomunicationis districte precipiant ut quilibet ex ipsis filios suos intra octo dies, postquam nati fuerint, ad ecclesiam deferri et per parochiales sacerdotes suos baptiçari faciant et procurent. Volumus insuper et mandamus quod presens monitio et mandatum quolibet mense semel in qualibet ecclesia tamquam sacra lectio repetatur. Sacerdotum vero negligentiam, si per eos steterit quominus dicto termino parvuli baptiçentur, et[u] qui predictas monitiones (11r) facere ac huiusmodi constitutionem nostram singulis mensibus publicare distulerint, gravissime puniemus.

16 Quod mulieres non teneant pueros in lecto infra biennium.

Nulle quoque mulieres lactantes parvulos infra biennium existentes sub pena excomunicationis in eodem lecto secum detinere presumant, ne ipsos opprimant et perimant dormientes fiantque autrices funerum quas nutrices esse convenit filiorum. Mandantes quod sacerdotes parochiales in festivitatibus Nativitatis et Resurectionis dominice ac Penteconstes

[u] eos *sottinteso*

et Asumptionis domine nostre hoc statutum populo anuntiare infra missarum solempnia teneantur, sub pena soldorum centum quam incurrant si hoc neglexerint adimplere.

17 De symoniacis et aliis iniuste detinentibus ecclesiastica beneficia.

Quia symoniaca pravitas inter omnia crimina detestabilior iudicatur adeo quod eius respectu cetera quasi pro nichilo reputantur, ipsam a nostris subditis vigilanti studio intendimus amovere. Ideoque presenti sanctione duximus statuendum ut quivis clericus tam subditus quam prelatus, cuiuscunque status seu conditionis existat, qui contra Deum et iustitiam et bonum conscientie beneficium seu dignitatem vel rectoriam tenet vel in futurum tenebit, quod vel que per se vel per alium acquisitum fuerit per symoniacam pravitatem, sine mora illud vel illam in nostris manibus libere resignet penitus et dimictat, et ad restitutionem omnium fructuum et proventuum quos quilibet talis receperit ipsi ecclesie, in cuius preiudicium recepit, integre restituere teneatur.

18 Contra occupatores beneficiorum ecclesiasticorum.

(11v) Statuimus quod nullus clericus seu religiosus dignitatem, personatum, officium seu beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura occupare seu se in illis intrudere quovis quesito colore presumat; et si quis contrafecerit, ipso facto sententiam excomunicationis incurrat nisi occupata dimiserit et perceptos fructus restituerit, absolutionis beneficium nullatenus percepturus.

19 De conspiratoribus.

Cum grave sit conspirationem facere contra quemquam et multa mala ex conspirationibus oriantur, volentes super hoc malitiis hominum obviare, statuimus quod nullus clericus vel regularis persona de cetero facere hoc attemptet; et si quis contrafecerit, canonice ultioni subiaceat et pene quam duxerimus pro qualitate criminis imponendam.

20 De usurariis.

Ad hec de usurariis quantum possumus libenter providere volentes, statuimus et mandamus districte sub excomunicationis pena, quam in contrafacientem quemlibet ex nunc prout ex tunc proferimus in hiis scriptis, et ipso facto contrario incurrere volumus transgressores, quod nullus postquam prestita fuerit securitas de restituendis usuris extortis et appellationis benefitio renuntiatum fuerit in eadem super aliqua sententia seu interlocutoria vel mandato lata vel facto pro usuris restituendis appellare audeat vel

presumat; nullusque advocatorum seu procuratorum in causa talis appelationis patrocinari vel agere, procurare seu consilium impendere quoquo modo audeat vel presumat. Nos enim quoslibet advocatos et procuratores officio in nostra curia usque (12r) ad annum a die transgressionis presentis nostre constitutionis suspendimus et sine omni spe restitutionis suspensos esse volumus ipso facto.

Utriusque Testamenti pagina usurarum reprobata vorago ita quorundam animos ceca cupiditate fuscavit ut que eis iure prohibente interdicta noscuntur quesitis diversis fraudibus perpetrare conentur. Nonnulli siquidem fenebrem pecuniam exercentes alienam pecuniam vel suam mutuant nomine alieno, aut suam per alios faciunt mutuari ut sic usurarii minime censeantur. Hos autem omnes et quemlibet ipsorum ad restitutionem in solidum et principaliter volumus obligari et in electione sit actorum quem eorum maluerit in iudicio convenire, ita quod per conventionem unius non excludatur quin possit reliquum convenire, si a primo quod petierit non potuerit obtinere[v]. Instrumenta quoque facta in filiis, nepotibus aut uxoribus usurariorum manifestorum seu per ipsos sub nomine depositi vel mutui vel sub alia quacunque forma verborum presumptione violenta, contractus usurarios esse censemus et in fraudem usurarum esse confectos. Statuentes quod tam in vita quam post mortem ipsorum usurariorum cum agetur de usuris huiusmodi repetendis cognoscatur ac si in personis ipsorum usurariorum contractus essent huiusmodi celebrati.

Quia plures usurarii eorum ex usuris quas extorquent ut plurimum non instrumenta conficiunt set codices rationum, propter quod contingit quod apud illos qui usuras solverunt nulla remanent documenta quibus probare possint usuras extortas, et sic ipsi remanent in gravi dampno et heredes in periculo animarum, cum sepe dictarum rationum seu librorum copia denegatur, nos volentes tam indempnitati (12v) eorum qui recipere debent quam saluti decedentium et ipsorum heredum salubriter providere, presenti synodali constitutione duximus statuendum ut quamquam supradicti usurarii modo expresso mandent satisfieri de usuris, nichilominus ante assignationem librorum dictarum rationum omni fraude remota parochialis sacerdos talibus deneget ecclesiastica sacramenta, quod si secus fecerit, sententiam excomunicationis incurrat. Et si ante assignationem dictorum librorum decesserint, non admictantur ad ecclesiasticam sepulcturam nec eis prosit quod dicant libros ipsarum rationum se non habere, etiam si protestentur velle firmare proprio sacramento cum non sit verisimile; et si eos non habent, dolo desierint possidere nisi forte, habito respectu ad personas petentium et quantitates petendas secundum arbitrium iudicantis, securitatem prestent de restituendis usuris, credendo petentium simplici iuramento.

Usurariorum manifestorum saluti volentes latius providere, monemus omnes notarios et eis sub excomunicationis pena mandamus, quam eorum quemlibet si secus fecerint incurrere volumus ipso facto, quatenus nullus eorum securitatem recipiat in civitate

[v] si … obtinere *aggiunto al margine destro dalla stessa mano*

ab aliquo usurario manifesto sine nostra seu nostri vicarii licentia speciali, nisi forte tanta necessitas instaret quod ad nos vel ad nostrum vicarium absque mortis[w] periculo recursus convenienter non posset haberi. Semper autem recipiatur securitas secundum formam nostre curie consuetam et constitutiones domini patriarche super hoc promulgatas[19], quam sub pena predicta in libro nostre curie per manum publicam ipsorum notariorum expensis heredum infra decem dies post mortem testatoris volumus registrari, ut quilibet ipsius copiam possit habere absque dispendio ex(13r)pensarum. Et quia in forma securitatis cavetur expresse ut coram nobis aut nostro vicario fiant quietationes usurarum et restitutio earundem ut omnis fraus et dolus cesset qui consuevit exerceri in talibus, sicut rerum experientia manifesta docet idcirco instrumenta restitutionum usurarum huiusmodi alibi facta quam in securitate cavetur, quia suspitione non carent, decernimus non valere. Notariis autem existentibus in dyocesi propter locorum distantiam indulgemus ut possint securitates huiusmodi recipere absque nostra seu vicarii nostri speciali licentia, presente tamen proprio confessore. Volumus nichilominus ut infra quindecim dierum spatium post mortem testatoris, sub pena predicta, securitates antedictas in libris curie nostre registrare debeant prout superius est expressum.

21 De sortilegis et eorum pena.

Precipimus et statuimus sub pena excomunicationis quod nullus ad sortilegos seu sortilegas pro sortibus exercendis audeat habere recursum.

Item inibemus atque precipimus quod nullus sacramento eukaristie, crismate, oleo sancto seu aqua benedicta abutatur, presertim pro malefitiis exercendis. Nullus insuper demones audeat invocare nec ad invocantes habere recursum pro invocatione huiusmodi exercenda. Nullus insuper ossibus mortuorum seu aliqua parte humani corporis seu hominis mortui vel viventis uti audeat ad malefitia facienda. Si quis autem contrarium fecerit, ipso facto sententiam excomunicationis incurrat; et si sacerdos vel alii clerici seu layci predicta ministraverint adversus predictos, similiter excomunicationis sententiam ipso facto incurrant.

22 De clericis luxoribus.

(13v) Hac synodo generali statuimus quod nullus clericorum Padue in civitate vel villis dyocesis nostre ludere audeant ad ludum aliquem cum taxillis vel alias inhonestum, ubi denarii amictantur, sub pena soldorum viginti et quilibet sit accusator et teneatur accusare quoscunque viderit sic ludentes et habeat medietatem banni.

[w] *Nel testo* more

23 De pena clericorum portantium arma.

Quia clericorum arma debent esse orationes et lacrime et non ferrum, statuimus et ordinamus ac precipimus inviolabiliter observari quod nullus clericorum in civitatis Padue et dyocesis audeat vel presumat alicuius generis arma portare per civitatem vel villas dyocesis paduane. Quicunque vero contrafecerit et inventus fuerit cum armis, persolvat et persolvere teneatur illa banna et pecunie quantitates que contra laycos in statutis comunis Padue continentur, ad quas eos ex nunc prout ex tunc scriptis presentibus condempnamus. Verum quia supradicti clerici pretestu inimicitiarum capitalium seu propter viarum discrimina, que allegant, predictas penas effugiunt, declaramus et pronuntiamus quod ad predicta probanda nullatenus admictantur nisi ante inventionem armorum de supradictis inimicitiis fides facta fuerit coram nobis vel vicario nostro, et notorium sit ipsos per suspecta loca debere transire et inventi fuerint tamquam viatores in itinere constituti.

24 Contra concubinarios manifestos.

Contra concubinarios manifestos non intendimus ad presens aliquid novum statuere, set constitutionem bone memorie domini Latini condam legati sedis apostolice in partibus istis, in qua dicitur quod omnes concubinarii manifesti ipso facto suis benefitiis sint privati, proponimus executioni debite demandare.

(14r) 25 De sacrilegis.

Ecomunicamus et anathematiçamus in hiis scriptis ex parte Dei omnipotentis et nostra omnes effractores, violatores, incendiarios ecclesiarum et occupatores violentos bonorum immobilium ecclesiasticorum, necnon eos qui violenter occupant vel furto subtrahunt calices, cruces, libros, ornamenta seu paramenta quecunque ad ecclesias et maxime ad ornatum altaris pertinentia.

26 De pena impedientium collationes ecclesiarum factas per episcopum.

Quorundam clericorum et personarum secularium abusum qui ad ea, que sibi a iure noverint interdicta, ausu temerario manus extendunt, refrenare cohertione debita cupientes, hac synodali constitutione sanctimus monentes pro primo, secundo et tertio perhemptorio ut in ecclesiis que ad nostram ordinationem seu provisionem immediate pertinere noscuntur nullus postquam aliqua ipsarum vacare contigerit nostram provisionem seu ordinationem per se vel per alium quoquo modo impedire presumat, quominus nostra provisio seu ordinatio debitum consequatur effectum. Alioquin quemlibet impedientem nostram provisionem seu ordinationem cuiuscunque status, ordinis vel dignitatis existat, nisi infra quindecim dierum

spatium destiterit a premissis, excomunicationis sententiam incurrere volumus ipso facto.

27 Quod quilibet prelatus habeat has constitutiones.

Mandamus et precipimus omnibus abbatibus, prioribus, archipresbiteris, prepositis ac omnibus prelatis ecclesias collegiatas habentibus quatenus predictas constitutiones integraliter sub pena quadraginta soldorum parvorum usque ad quatuor menses in suis ecclesiis scriptas habeant et easdem studeant eorum subditis publicare.

(14v) Actum Padue in nostra cathedrali ecclesia in generali synodo totius cleri civitatis et dyocesis paduane ibidem congregata anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo nono, indictione septima, die mercurii septimo mensis aprilis, presentibus venerabilibus viris dominis Ieorgio de Ianua, Leonardo de Carraria et Perençano de Carraria canonicis predicte nostre cathredalis ecclesie paduane ac providis et discretis viris dominis presbitero Bartholoto rectore ecclesie Sancti Clementis de Padua primicerio capellanorum civitatis Padue, presbitero Paduano, presbitero Oliverio et presbitero Iacobo de Limignano mansionariis predicte nostre ecclesie paduane, Bartholomeo de Vallemontonis archipresbitero de Montesilice, Bonaventura de Pulveraria archipresbitero de Tribano, presbitero Andrea plebano Sancte Eufomie de Burgoricho, presbitero Paulo et presbitero Guillelmo rectoribus ecclesie de titulo plebium et ecclesiarum dyocesis paduane, presbitero Bartholomeo Sancti Nicolay, presbitero Thomaxino Sancti Martini, presbitero Iohanne Sancti Thome, presbitero Luchesio Sancti Petri et presbitero Anthonio Sancti Thomaxii, ecclesiarum civitatis Padue rectoribus ac dominis Matheo Laurentio condam domini Iacobi de Padua, Martino condam Octonis de Marostica iuris peritis, magistro Iacobo condam Corradi de Barbarano, Prediparte notario condam Gerardini, Bartholomeo notario condam Iacobi Porcelle, Bencivenne notario dicto Cenne condam Petri, Viviano notario filio Liaçarii et Oliverio notario condam Octonelli de Sermedula, omnibus officialibus episcopalis curie paduane, testibus et aliis pluribus.

Ego Ubertus filius Bartholomei Porcelle notarii, imperiali auctoritate notarius publicus, civis Padue et officialis episcopalis curie paduane, publicationi suprascriptarum constitutionum in prefata synodo una cum prefatis testibus presens fui ipsasque de mandato eiusdem domini episcopi paduani scripsi et in hanc publicam formam redegi meoque solito signo et nomine roboravi rogatus in fide et testimonium omnium premissorum.

§IV3c 1360, PILEO DA PRATA

COSTITUZIONI DI PILEO DA PRATA
1360 marzo 8, Padova

Archivio della curia vescovile di Padova, Sinodi 1, cartella [1] : "Frammento del sinodo del 1360-Pileo da Prata" (fascicolo di 8 fogli, paginazione moderna).

Già edito in: F.S.Dondi dall'Orologio, *Sinodo inedito di Pilleo cardinal Prata vescovo di Padova e notizie della di lui vita*, Padova 1795, p 124-177; F.S.Dondi dall'Orologio, *Dissertazione ottava sopra l'istoria ecclesiastica padovana*, Padova 1815, documento CXIII, p 207-229.

Il fascicolo, acefalo probabilmente di un bifoglio, doveva riportare nel primo foglio attualmente mancante una premessa alle costituzioni sinodali ed un numero imprecisato di costituzioni (circa quattro). Lo stato di conservazione non è buono, l'inchiostro è per lo più sbiadito e il fascicolo è stato recentemente restaurato anche con il supporto di carta incollata. Il testo non presenta rubriche numerate, che sono state aggiunte in questa edizione per comodità, e per le quali l'amanuense aveva comunque lasciato lo spazio necessario. La sintassi in alcuni casi risulta faticosa e al limite della correttezza. Alcune particolarità ortografiche possono far supporre che il testo non sia stato copiato direttamente dall'amanuense ma che sia stato dettato a più copisti.

(1) (Sulla clausura dei monasteri femminili)

(p.1) [...]et cum audiverint confessiones monialium non infirmarum, audiant eas ad aliquam fenestram pariete in medio existente, et cum audiunt confessiones infirmarum audiant eas in tali loco quod due saltem moniales ad hoc per abbatissam deputate videant et non audire valeant utrasque personas. Predicti etiam visitatores ubi expedire viderint seu extiment, clausuram interiorem monasteriorum intrent et cum uno ad minus honesto socio in loco non suspeto moniales examinent ut suum officium debeant exercere, exceptis monasteriis que subsunt immediate dominis archipresbitero et capitulo paduano, sive aliis quibuscumque prelatis nostre civitatis et diocesis paduane. Inhibemus et sub pena excommunicationis quod mulieres aliquas seculares cuiuscumque condicionis[x] existant, illis exceptis dumtaxat quorum honesto et familiari pro necessitate monasterii et monialium utuntur obsequio, infra clausuram predictorum monasteriorum non admitant.

[x] *nel testo* constitutionis

(2) (Ancora sulla clausura delle monache)

Mandamus etiam quod in solempnitatibus sanctorum, sub quorum nomine ecclesie predictorum monasteriorum sunt dedicate, et in aliis solempnitatibus in dictis monasteriis solitis celebrari et in ipsarum ecclesiarum consecrationibus religiosi, clerici et laici ac mulieres possint intrare ecclesias supradictas, et primo dumtaxat claustrum supradictorum monasteriorum et tunc abbatissa et moniales in loco decenti se trahant, ita quod aspectus ipsarum intra⟨n tibus non sit manifestum et ita ut ipsarum honestas illesa servetur. Mandamus etiam quod si abbatissa seu moniales supradicte pro aliqua honesta causa et specialiter utilitatem monasterii contingente aliquibus religiosis, ecclesiasticis seu laicis loqui voluerint, dummodo predicti eundi ad dicta monasteria a nobis licentiam obtinuerint seu a vicario nostro, posint eis loqui et honesta et utilia negocia tractare cum eis. Si abbatissa loqui voluerit adhibeat secum duas sed unam ad minus honestas et antiquas moniales, que audient ea que loquntur. Si vero monialis loqui voluerit, hoc faciat de licencia abbatisse, que si licenciam loquendi concesserit, teneatur et debeat ei dare duas sed unam ad minus honestas socias et antiquas seu ipsamet per se ipsam asistat ut ipsa vel alie similiter audire possint que loquntur. Huiusmodi autem locutio semper fiat per abbatissas et moniales ad fenestras feratas et aliquo pariete intermedio.

(3) (Sulla confessione delle donne)

Mandamus quod sacerdotes regulares et seculares in ecclesiis audientes confessiones mulierum non audiant eas in angulis ecclesiarum nec in locis ocultis, sed in tali parte ecclesie quod utriusque persone possint videri comuniter ab hiis qui fuerint in ecclesiis presentes. Confessiones mulierum non infirmarum alibi quam in ecclesiis non audiantur, nisi per aliquas mulieres honestas ad domum earum fuerint advocati pro audiendis earum confessionibus et audiendi ad predictas domos a nobis seu vicario nostro obtinuerint licenciam specialem qui vero ad audiendas confessiones mulierum infirmarum in earum domibus accedant et audiant eas in tali loco quod socius sacerdotis, si quem habet, et alique persone in domo mulieris existentes videant sacerdotis et mulieris confitentis personam, et ita remote existant quod confitentis verba audire non possint. Contrarium vero facientes librarum decem parvorum pene volumus subiacere.

(4) (Sulla decima e il quartese in confessione)

Mandamus quod sacerdotes, religiosi et alii cuiuscunque status vel conditionis existant cum confessiones audierint inducant quoquo modo possunt confitentes ut de suis possessionibus decimas et quartisium solvant illis quibus de iure vel consuetudine debent

solvere antedicta secundum tenorem constitutionis edite super hiis in patriarcali et provinciali concilio, alioquin [...][y] precepti si negleti vel negligencie filii non teneant.

(5) (Sui diritti di confessione e predicazione)

⟨Cum parochie ecclesiarum propter hoc fuerint limitate ut terminis suis quilibet contentus existat, statuimus ut quilibet sacerdos nostre iurisdicioni subiectus (p.2) religiosus seu secularis, exceptis religiosis mendicanibus in casibus a iure expressis et forma iuridica concessis, parochiam alterius parochi[z] ad confessionem recipiant vel pro penitentiis dandis aut aliis sacris intret parochiam alterius ad sanum aliquem seu egrum, nisi de nostra licencia aut vicarii nostri hec fecerit vel per sacerdotem eiusdem parochie expresse fuerit invitatus, vel predicta de voluntate eius fecerit et conscensu, non obstante si vocatus fuerit vel vocatum se dixerit ab amiciis vel consanguineis infirmis vel quibuscumque aliis personis sine nostra vel predicti vicarii nostri licencia et consensu. Hec idem statuimus de predicationibus faciendis. Qui vero huius constitutionis transgressor extiterit, pro qualibet vice penam librarum quinque parvorum incurat et quiquid oblationis ad hoc perceperit proprio sacerdoti restituat et assignet infra triduum sub pena dupli.

(6) (Sul dovere di visitare gli infermi e di amministrare loro i sacramenti)

Item monemus quod soliciti sint sacerdotes visitare infirmos sibi subditos quocumque et maxime cum fuerint requisiti, absque dilationis mora, ac eisdem infirmis penitenciam et alia ecclesiastica sacramenta, cum decens et opus fuerit, administrare. Si vero per ipsorum sacerdotum incuriam sive negligenciam aliquis infirmus sine penitencia[aa] seu aliis sacris ecclesiasticis mortuus fuerit, ipsum sacerdotem propter[bb] penam in iure statutam contra tales, ut[cc] eius temeritas et negligentia acerrime puniatur, penam librarum viginti quinque parvorum incurrere volumus ipso facto.

(7) (Sull'abito dei sacerdoti di Padova durante le confessioni di avvento e quaresimali)

Item monemus omnes sacerdotes parochiales civitatis Padue et suburbiorum curam animarum habentes quod tempore adventus quadragesimali confessiones parochianorum suorum in decenti et honesto habitu audiant, videlicet in capa vel cota. Alioquin omnes contrarium facientes ad nostrum arbitrium puniemus, prout locus et persona presbiteri dictam indecenciam aggravabit.

---

[y] *circa tre parole illeggibili per sbiadimento dell' inchiostro*
[z] *nel testo* parochie
[aa] *nel testo* penitenciam
[bb] *nel testo* preter
[cc] *nel testo* et

(8) (Sui doveri dei medici che curano persone in pericolo di morte)

Cum infirmitas corporum nonnunquam ex langore proveniat animarum, dicente Domino languido quem sanaverat: "Vade et amplius noli peccare"[20] ne deterius tibi aliquid contingat prius igitur est anima purganda sordibus peccatorum quam a medicina subsidium procedat, ut anima purgata vitiis et sanata virtutibus sui perfetio corporis sit et vita, monemus omnes et singulos medicos illisque districte sub excomunicacionis pena mandamus ut cum ad curandum infirmos contingat curari deinceps, de quibus maxime mortis periculum timeatur, ad eos ultra quam duabus vicibus acedere non presumat nisi eis primo constiterit quod infirmi huiusmodi ad se vocaverint sacerdotes.

(9) (Sul dovere dei sacerdoti di non binare)

Ne sanctissima officii misse devotio, de qua fidei christiane fundamentum constitit, ex cotidiana pluralitate apud christiculas inmitatur[dd], in hac generali sinodo statuimus et inviolabiliter observari precipimus ne aliquis presbiter in civitate vel diocesi nostra bis in die missarum solempnia celebrare presumat, exceptis casibus a iure expressis. Qui vero contrafecerit, soldos XL parvorum persolvat, cuius pene medietas sit illius qui eum curaverit accusare.

(10) (Sui sacerdoti in cura d'anime che non possono affidare ad altri la cura)

Item statuimus et districte precipimus in predicta civitate et diocesi constitutis ut in ecclesiis suis aliquem capellanum ponere ad curam animarum suarum nullo modo presumant absque nostra licencia speciali. Qui vero contrafecerit eo ipso penam decem librarum incurat, quas si infra mensem a die commissionis numerandas solvere neglexerit, nostro arbitrio puniemus; eum quoque, qui sic temere recipere et exercere presumpserit[ee] curam predictam, nisi infra octo dies receperit et veniam promeruerit, in decem librarum pene sententialiter condempnamus.

(11) (Sui prelati provenienti da altre diocesi)

Item districte precipimus omnibus supradictis prelatis et rectoribus ecclesiarum quod non debeant recipere alterius episcopi sacerdotem in suis ecclesiis nisi prius cum litteris testimonialibus et dimisoriis sui episcopi se presentaverit coram nostra presencia, vel alio modo de ipsorum nobis condicione constet, et a nobis curam receperint animarum et

[dd] *lettura dubbia, forse per* iminuatur
[ee] *nel testo* presumpserint

licenciam celebrandi. Si vero ex predictis suprascriptis tam salubria precepta ac statuta adimplere contenserint, pene decem librarum parvorum volumus subiacere.

(12) (Sui benefici illecitamente occupati)

(p.3) Statuimus quod nullus clericus seu religiosus dignitatem, personatum, officium seu beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura occupare seu se in illis eorundem a quovis quesito colore presumant, et si quis contrafecerit ipso facto sententiam excomunicationis incurat, nisi occupata dimiserit et preceptos[ff] fructus restituerit, absolutionis beneficium nullatenus recepturus.

(13) (Sul nepotismo del clero curato)

Item statuendo interdicimus cuiulibet ecclesie rectori et clerico in civitate vel nostra paduana diocesi existenti ne possessiones ipsius ecclesie fratri suo[gg] carnali, filio, consanguineo vel alicui alie persone coniuncte pro minori affictu vel alio extraneo possit habere, possit locare vel etiam affictare seu alio quovis modo transfere sine nostra speciali licencia vel decreto[hh]; qui vero contrafecerit a beneficio sit suspensus et locacionem et affictacionem seu quomodolibet alium contractum ipso iure irritos iudicamus.

(14) (Sui chierici, le taverne e il gioco)

Item statuendo decernimus quod nullus presbiter seu clericus in civitate vel nostra diocesi paduana tabernam tenea⟨t seu ludum, ne in taberna bibat nisi in casibus a iure expressis dumtaxat exceptis. Si quis huius nostri statuti transgresor extiterit, qui tabernam tenuerit seu ludum, libras decem persolvat; qui vero biberit soldos viginti similiter et qui ludet ad incarcerandum. Qui vero bibentem viderit seu tabernam tenentem seu ludum et in octo dies nobis non denunciaverit, iusto impedimento cesante, similiter soldos XX parvorum persolvere[ii] teneatur; denunciatori vero vel acusatori medietatem penarum predictarum volumus aplicari.

(15) (Sulla decima e il quartese)

Item quia nonnulli in suarum periculum animarum decimas et quartisia illicite detinent et iniuste, cum ad iudicium evocantur cavilationibus et subterfugiis intentos adeo

[ff] *per* perceptos
[gg] *segue* limo *per* legitimo *depennato*
[hh] *nel testo* ut de cetero
[ii] *nel testo* persolvat

quod pendencie aut liti toti seu instancie cedere vel propter importunitatem ius suum reddimere conpeluntur, statuimus, ut parciatur parcium laboribus et expensis quod in causis decimarum et quartisiorum simplici petitione oblata, sumarie, de plano, sine strepitu et figura iudicii procedetur, etiam restringendo solempnitatem a iure indutam in premissis causis, si cog⟨n itori visum fuerit expedire. Ad hec dicimus statuendo quod si quis decimas et quartisia ipsas seu ipsarum alteram recipere debentibus, maxime personis et clericis ecclesiasticis per civitatem et diocesim paduanam constitutis, solvere integraliter neglexerint seu contradixerint, nisi infra quindecim dierum spatium immediate a colationis seu perceptionis fructuum facto tempore numerandos presentaverint et solverint, ut premittitur, ingressum[jj] ecclesiis interdicimus ipso facto, et si predicta solvere adhuc integraliter recusaverint animo indurato, per mensem a die ultimo dictarum contradictarum.

(16) (Sui servi come testimoni del versamento delle decime)

Quoniam cum solutio decimarum seu quartisiorum plerumque in domesticorum presencia ⟨fit per alios testes non est probatio earumdem, statuimus quod in quarumcumque decimarum et quartisiorum solutione probanda testes domestici, dummodo aliquod impedimentum canonicum non obsistat, amitantur, exceptione domesticitatis ullatenus non obstante.

(17) (Ancora sui testimoni del versamento delle decime e sulla registrazione)

Cum dificultas probacionis rigorem iuris mitiget et presunte et coniecturate probaciones pro veris, legitimis et sufficientibus habeantur, ideoque prout experientia magistra demonstrat, cum decima seu quartisium certi territorii petitur, propter diversitatem terrarum in quibus decima seu quartisia consistant et propter particularitates solucionis diversis temporibus de ipsis decimis et quartisis fieri consuetas ipsarum decime seu quartisii probacio iuris rigore inspecto per testes fieri, quodammodo non potest, quem in atestacionibus naturas loci temporibus seu rerum non esistat, quorum ipse atestaciones predicte de iuris rigore solent instringi, hac generali sinodo sancimus quod, cum decima seu quartisium alicuius certi territori petitur, specificentur species et individua ipsius decime seu quartisii que petuntur in libello seu posta; et tunc si ad ipsorum decime et quartisiorum probationes quoquomodo testes producantur, eorum testium depositio sit valida et legitima, lege pariter in decimis, item quoque in rerum seu bonorum singularium, dum tamen species seu individua decime seu quartisii specificate in libello seu posta, ut premittitur, (p.4) per ipsos testes singulares sint probate. Alioquin non in omnibus expresse specificatis per petentem, sed solum improbatis per testes singulares, eorum testium depositio valida

[jj] *nel testo* egressum

habeatur. Predicta tamen locum habere volumus dummodo dictis testibus aliud impedimentum canonicum non obsistat.

(18) (Sui chierici e i conflitti)

Cum guerre sit conspirationem facere contra quemcumque, et multa mala ex spirationibus oriantur, volentes super hoc maliciis hominum obviare, satuimus quod nullus clericus vel regularis persona hoc facere atemptet. Si quis contrafecerit, canonice ultioni subiaceat et penam quam duxerimus pro qualitate criminis imponendam.

(19) (Sugli usurai)

Ad hec de usurariis quantum possumus libenter providere volentes, statuimus et mandamus districte sub excomunicacionis pena quam contrafacientem ex nunc prout ex tunc proferimus in his scriptis et ipso facto, contrarium vero incurrere volumus transgressores, quod nullus postquam fuerit securitas de restituendiis usuriis extortis et beneficio apelacionis renunciatum fuerit in eadem sub aliqua sententia seu interlocutorio vel mandato latam seu facto pro usuris restituendis apelare audeat vel presumat, nullique advocatorum seu procuratorum in causa talis apelationis patrocinari vel agere, procurare seu consilium impendere quoquomodo audeat vel presumat. Nos enim quoscumque advocatos et procuratores officio in nostra curia usque ad annum a die presentis constitutionis suspendimus et sine omni spe restitutionis suspensos volumus esse ipso facto.

(20) (Sui contratti usurai)

Utriusque testamenti pagina usurarum reprobata vorago, ita quorumdam animos ceca cupiditate fuscavit ut que eis iure prohibente interdita miscuntur quantis diversis fraudibus perpetrare conentur, nonnulli siquidem fenebrem pecuniam exercentes, aliam pecuniam vel suam mutuatam alieno nomine ad suam per alios faciunt mutuare, ut sic usurarii minime censeantur. Hos autem omnes et quemlibet ipsorum ad restitutionem in solidum et principaliter volumus[kk] obligari, et etiam in eletione sic actorum, quoniam ipsorum maluere in iudicium convenire. Itaque per conventionem unius non excludatur, quin possit reliquum convenire, si a primo, quod petierit non fuerit assecutus. Instrumenta quoque facta in filiis, nepotibus aut usoribus usurariorum manifestorum sive per ipsos, sub nomine depositi vel mutui vel sub alia quacumque forma verborum, presumptione violenta contractus usurarios esse censemus etiam in fraudem usurarum fore confectos; statuentes quod tunc

[kk] *segue* contempnari *depennato*

inventa post mortem ipsorum usurariorum cum agentur ad huiusmodi usuris repetendis[ll] cognoscatur ac si in personis ipsorum usurariorum contract pent huiusmodi celebrata[mm]. Adicientes[21] quod illud idem observare volentes in instrumentis factis in domesticis et in estraneis, eo casu quo nomine usurarii manifesti reciperentur seu stipularentur contractus antedicti, vel etiam ipsi estranei vel domestici, suo proprio nomine confici facerent, sed tamen cesio quovis modo fiat per eosdem alicui usurario manifesto, ut tunc talles contractus et cessiones censeantur contractus usurarii et pro contractibus usurariis reputentur. Idem volumus observari et contractus usurarii etiam presumantur in quibus usurarius manifestus fideiussor extitit, solucione facta vera vel ficta per dictum usurarium fideiussorem creditori seu cessione facta eidem usurario fideiussori pro eodem. Idem usurarii fideiussor agat contra debitorem, pro quo penes creditorem fideiussoris nomine se obligavit. Idemque si filii seu domestici usurariorum manifestorum fuerint, prout supra diximus fideiussores et agant eo modo et forma superius enaratis.

(21) (Sui contratti di usura mascherati)

Quia plures usurarii ex eorum usuris, quas extorquent, ut plurimum, non conficiunt instrumenta sed codices rationum, propter quod contingit quod apud illos, qui usura solverint, nulla remaneant documenta quibus probare posint usuras extortas, et sic ipsi remanent in gravi dampno et heredes in periculo animarum, cum sepe dictarum rationum seu librorum copia denegatur, nos volentes tam indempnitati eorum, qui recipere debent, quam saluti decedencium et ipsorum heredum salubriter providere, presenti sinodali constitutione duximus statuendum ut, quamquam supradicti usurarii non expresse mandent satisfieri de usuris, nichilominus ante assignacionem librorum dictarum rationum omni fraude remota parochialis sacerdos talibus deneget ecclesiastica sacramenta; quod si secus fuerit sententiam excommunicacionis incurat, et si ante assignationem dictorum librorum decesserint, non admittantur ad ecclesiasticam sepulturam, nec eis prosit quod dicant se libros dictarum rationum non habere, eciam si protestetur velle iurare (p.5) proprio sacramento, cum non sit verisimile. Et si eos non haberent, dolo desierint possidere, nisi forte habito respectu ad personas petencium, et quantitates petendas secundum arbitrium iudicantis securitatem prestet de restituendis usuris, credendo petentium simplici sacramento.

(22) (Sugli usurai manifesti)

Usurariorum manifestorum saluti volentes lacius providere, monemus omnes notarios et eis sub excomunicacionis pena mandamus, quam eorum quemlibet si secus

[ll] *per* usuras repetendas
[mm] contract … celebrata*: senso dubbio*

fecerint incurrere volumus ipso facto, quatenus nullus ipsorum securitatem recipiat in civitate ab aliquo usurario manifesto sine nostra vel vicarii nostri licencia speciali, nisi forte tanta instaret necesitas, quod ad nos vel ad nostrum vicarium sine mortis periculo recursus convenienter non possent haberi, semper tamen recipiatur securitas secundum formam constitutionis nuper per nos promulgate, quam sub pena predicta in libro nostre curie per manum publicam ipsorum notariorum expensis heredum infra decem dies a tempore receptionis computandos volumus registrari, ut quilibet ipsius copiam possit habere absque dispendio expensarum. Et quia in forma securitatis cavetur expresse ut coram nobis aut nostro vicario fiant quietationes usurarum et restitutio earundem, ut omnis fraus et dolus ⟨c esset, qui in talibus exerceri consueverunt, sicut rerum experientia manifesta demonstrat; idcircho instrumenta restitutionum usurarum huiusmodi alibi et aliter facta quam in securitate cavetur, decernimus non valere. Et quia humana natura novas semper deproperat edere formas et remedia colorata, quibus legem conatur dolis et fraudibus amplexari, ordinamus et statuimus quod cessiones, donationes seu vendiciones, usuras et actionum usurarum repetendarum quas habet[nn] illi, qui usuras solverunt seu contra eorum heredes, sive fiant illis, quibus solverunt, vel eorum heredibus, seu aliis personis et eciam extraneis, cum sine scrupoli fraude huiusmodi cessiones, donaciones seu vendiciones non procedant; volentes in quantum possumus huiusmodi fraudibus obviare, sicut huiusmodi coram nobis vel vicario nostro, cui vicario mandamus quod cedentem, donantem vel vendentem interroget si cessiones, donaciones seu vendiciones faciat amore seu aliqua alia accione, occasione reali vel personali vel alia conditione vel causa, alioquin dicte cessiones aliter facte quam permittitur, nullam obtineant roboris firmitatem sed cassas et irritas nunciamus. Notariis autem existentibus in diocesi nostra propter locorum distanciam indulgemus ut possint huiusmodi securitates recipere absque nostra seu vicarii nostri licencia, presente tamen proprio confessore. Volumus ut nichilominus[oo] infra XV dierum spacium a tempore receptionis securitatis[pp] antedicte sub pena predicta securitates antedictas in libris curie nostre registrari debeant, prout superius est expressum.

(23) (Sulla tariffa spettante ai notai di curia per cause usurarie)

Consuetudinem et stilum episcopalis curie paduane super taxationem usurarum, instrumentorum incisorum in iudicio productorum ad repetendas usuras ab usurario, eredibus, commissariis seu fideiussoribus eorundem, aut ab aliis quibuscumque personis ad constitucionem scriptam redducere cupientes, statuimus quod ratio et taxatio fiat de uno anno ubi de ampliori vel minori tempore per legitimas probationes non apparet de commissione nostra seu vicarii nostri per unum ex notariis dicte curie paduane, si illum seu

[nn] *segue* aliqui *depennato*
[oo] *segue* ut *superfluo*
[pp] *nel testo* securitates

illum qui contingerit scribere in causa illa usuraria, tunc in ratione denariorum sex, pro quolibet mense, pro singulis viginti soldis descriptis in dictis instrumentis incisis, ut sic in profictum et favorem usurariorum hoc casu non presumatur illud instrumentum esse de duplo; ymo quoad predictam taxationem factam stetur scripture instrumenti, prou sonat. Predicta observari volumus et trahi ad preterita non pendentia de presenti.

(24) (Sui contratti usurari)

Item prout docet experiencia, ut usurariorum actus improbus manifestat, quod mutui, depositi et alios contractus confici faciunt usurarii de duplo, quadam abusiva pessima consuetudine, que pocius dicitur corruptela, et aliud de duplo eodem faciunt obligari, huiusmodi statuti vigore decernimus contractus mutui depositi et alios contractus usurariorum et eorum personas seu liberorum vel domesticorum confectos de duplo esse confectos, [casu] precedentis statuti dumtaxat excepto. Verum quod plerumque usurarii in suis [contractibus] (p.6) sunt soliti adhibere quandoque de contractu ad alium contratum, statuendo decernimus quod contratus socede, quo plerumque usurarii in fraudem contratus mutui nunc utuntur, in eandem usurariorum, personas[qq] liberorum vel domesticorum celebratos, censetur contractus verus mutui et usurarius, inspeta pocius veritate quam scriptura, quod in contractibus emptionum factarum in personam dictorum usurariorum, liberorum seu domesticorum volumus observari, nisi predicti contractus socede et emptionum per nos seu vicarium nostrum, tunc veros legitimos contractus socede seu emptionis prout scriptura instrumenti sonat et dicit, fuerint declarati. In qua quidem declaratione indagatio tallis fiat: ut, si in contratu socede pationes periculi et aliorum casuum fortuitorum seu quorumdam ex eis seu alia sint posita ultra naturam contractus et comunem modum in talibus veris contratibus socede consuetum, etsi in contractu emptionis res vendita plus quanto valeret et pactum appositum expressum seu tacitum de revendendo seu alie circumstancie vel coniecture adsint[rr], quibus presumi possit contractus usurarius et fraudulosus, ut tunc delatio nullo modo fiat, cum predicti contractus sint tales ut in scriptura sonat, sed pro contractibus usurariis omnino reputentur: quod reputari eciam volumus contractus predictos usurarios fore, si per unum testem, eciam si fuerit proseneta probatum fuerit, aliud actum scilicet ut re vera contractus sit mutui, licet ad cautelam et securitatem creditorum scriptum sit, formas socedarum vel emptionum apparuerit celebratas. Si vero fama publica usurarius reputetur, aliis circumstanciis fraudis non existentibus, tunc recepto iuramento venditoris et emptoris et eorum qui socedam contrascerunt, quod contractus re vera talis sit ut scriptura demonstrat et non in fraudem alterius celebratus, tunc legitimus et verus et talis ut scriptura instrumenti evidenter testatur, per nostrum decretum sic esse

[qq] *segue* usurariorum *depennato*
[rr] *nel testo* absint

declaretur. Pro monitionibus autem et preceptis et que usurarii, liberi seu eorum domestici suscipere faciunt debitores, a iudicibus de solvendo presumatur in fraudem usurariorum factam fore et ut veri contractus mutui reputentur, nisi ipse ad cuius favorem talles admonitiones seu precepta sunt facta coram nobis comparuerit, et confirmationem predictorum meruerit obtinere. Predicta locum habere volumus in preteritis et non pendentibus de presenti.

(25) (Sulla cognizione delle cause usurarie)

Quoniam in exitatione est ex opinionibus nostrorum an usure possint peti ab aliquo contra laicum in foro seculari in eodem examinari debeat et finiri, verum quia causa usuraria ecclesiasticis causis amiscetur et quasi spiritualis a canonibus asseritur, statuendo declaramus talem causam usurariam principaliter ad repetendas usuras, quam quisque clericus seu laicus cuiuscumque status et condicionis existat movere intendit contra clericum seu laicum, coram nobis vel vicario nostro eam inchoet et examinari faciat, ac teneatur fine debito terminare, quod circa preparatoria ipsius cause usurarie seu relaxationem pene iuramenti et alterius cuiuscumque obstaculi, impedimentis causam ipsam moveri, observari volumus et mandamus. Si vero in modum exceptionis dilatorie, perhemptorie seu anomale coram iudice seculari, per clericum sive laicum contra clericum sive laicum usuraria exceptio proponatur, examinacio, cognitio et difinitio earumdem exceptionum ad nos vel vicarium nostrum decernimus pertinere. Quam causam exceptionis prefacte terminari vollumus infra viginti dies utiles a die quo causa illius exceptionis a seculari iudice ad nos vel vicarium nostrum fuerit remissa compuandos. Quam remissionem facere teneatur iudex secularis per alteram parcium, vel ex nostro officio requisitus. Si vero infra dictum spacium viginti dierum exceptiones probare non poterit legitime quod excepit, ex tunc secularis iudex, sub cuius iudicio principalis causa agitur, non obstante illa exceptione, partes super dicta principali causa audiat et decidat et ne propter opositionem illius exceptionis factam in iudicio seculari que, ut premittitur, debet in foro ecclesiastico agitari, contingat principalem causam nimium protrahere propter appellationes que secundum canones possunt a quocumque gravamine interponi; statuimus quod a sententia seu pronunciatione, que per nos seu vicarium nostrum super ipsa exceptione fiet, nullo modo possit apellari, suplicari, reclamari seu in integrum restitutionem peti huiusmodi sinodi auctoritate et vigore. Si quis vero transgressor extiterit, si clericus sit et beneficiatus in tercia parte fructuum suorum beneficiorum huiusmodi statuti auctoritate sententialiter condempnamus in ornamentum (p.7) ecclesie seu ecclesiarum in quibus beneficiaus extiterit per nos convertenta. Si vero beneficiatus non fuerit, in libris decem condempnamus; si autem laicus sit, ingressum ecclesie[ss] denegamus et nichilominus

[ss] *segue* declaramus *depennato*

processus non teneant ipso iure. Predicta locum habere volumus in preteritis non pendentibus de presenti.

(25/1) Hec sunt interrogationes que fieri debent antequam fiat carta securitatis quam debet prestare usurarius. Primo namque tabelio antequam faciat cartam securitatis prestande ab usuraio, faciat iurare usurarium quod precepta domini episcopi paduani et eius vicarii observabit et quod dicet veritatem super hiis de quibus interrogabitur, et quod omnia, que in carta securitatis promiserit et ad que se obligaverit, firmiter observabit, poscat. Sic usurarius interrogetur: primo si fuit publicus et manifestus usurarius; item quantum tempus est quod dedit seu prestitit ad usuram; item quod quot denarios mutuabat in ratione libre; item quantum potest habere de usuris et male ablatis incertis; item si faciebat simulatos seu ficticios contractus; item si vult dare securitatem, hoc est dare pignera seu fideiussiores de restituendis usuriis et male ablatis certis et incertis; item si ante omnia vult dare et assignare tabellioni seu confessori suo recipienti nomine et vice domini episcopi paduani eiusque vicarii et omnium quorum interest omnes libros seu quaternus, rationes et instrumenta in quibus continetur aliquid datum vel receptum, dandum vel recipiendum per usurariam pravitatem; item si vult promittere quod si Deus ipsum pristine restituerit sanitati, ulterius non dabit ad usuram nec per se nec per interpositam personam, nec de predictis debitis vel prestitis[tt] aliquid exiget in fraudem usurarum; item si vult promittere quod omnia male ablata certa et incerta ac usuras restituet vel quod restituantur pro salute anime sue secundum modum et formam per dictum dominum episcopum adinventum. Factis interrogationibus et responsionibus ad easdem, conficiatur instrumentum securitatis hoc modo et legatur per notarium usurario et fideiussoribus:

(25/2) In Christi nomine amen. Ibique dominus Andreas iuratus stare mandatis domini episcopi eiusque vicarii et dicere veritatem super hiis de quibus interrogatus est vel fuerit, et quod omnia et singula observavit que in carta securitatis promiserit, et ad que se observanda se obligaverit suo sacramento fuerit confessus se fecisse et extorsise publicum et manifestum usurarium et dedisse pecuniam ad usuram in ratione tot denariorum pro libra - et quantitas exprimatur - faciendo contractus simulatos seu ficticios in fraudem usurarum. Et hoc presens clausula in instrumento cautionis, si sic interrogationibus fuerit confessus ac habuisse et extorsise per usurariam pravitatem et alias illicite tot libras - et ponatur quantitas - et eciam habuisse tot libras de male ablatis incertis, et si male ablata incerta dicat se habuisse, et quod tantum habet in bonis, quod detractis debitis, que de iure debentur vel possunt trahi, si sic fuerit confessus predictarum usurarum et male ablatorum incertorum et plurium, si reperiretur, potest fieri restitutio competenter. Et quia credit propter hoc se Deum graviter offendisse, et penitet sic fecisse, datis et consignatis michi M. notario libris, quaternis, instrumentis et rationibus usurarum, videlicet hoc et hoc et hoc, si dixerit se habere et

[tt] *nel testo* prestitit

dederit; si autem dixerit se habere et ad presens dare non posse, quia sunt extra domum, notarius sic dicat: presenti solempni stipulatione promisit mihi notario, infrascriptos tales libros, instrumenta et quaternos presentare domino episcopo vel eius vicario, seu presentari facere, et penes eumdem dominum episcopum vel eius vicarium dimitere infra certum tempus, et tempus exprimatur secundum qualitatem negotii et distantiam locorum. Aliter si dixerit instrumenta, libros, rationes seu codices non habere, sic dicatur: nullis assignatis libris, quaternis seu instrumentis nec promissione facta de assignando michi M. notario per solempnem stipulationem promissit recipienti et stipulanti nomine meo et reverendi in Christo patris et domini domini P. Dei et apostolice sedis gratia episcopi paduani, eiusque vicarii et omnium quorum interest vel interesse poterit. Si Deus ipsum pristine restitueret sanitati deinceps usuras aliquas per se vel alium non exercebit, nec pretextu alicuius obligationis, conventionis, pacti, instrumenti seu alicuius cuiuscumque scripture hactenus habitorum, seu factorum a quacumque persona, collegio et universitate remittit: et eciam si qua iuramenta fecisset sibi prestare de solvendis usuris vel solutionibus non repetendis, illa quibuscumque remittit. Pariter declarat persone mei notarii recipienti nomine cuius interest vel interesse poterit, et predicta omnia et singula attendere et observare (p.8) promittit, sub pena librarum V^{C} parvorum, que pena totius committatur et eciam exigatur cum effectu quociens per se seu heredes suos fuerit contrafactum, presenti instrumento securitatis semper in sua firmitate manente. Si vero in hac infirmitate decesserit, quod deus advertat, mandat et precipit omnibus heredibus suis sub pena privacionis hereditatis sue et suarum periculo animarum quod debeant omnibus personis, collegio et universitati habere debentibus reddere et restituere predictas usuras et mala ablata incerta, et tanto plus quanto reperiretur per se vel per alium extorsise per usurariam pravitatem aut modo alio illicito habuisse, ita tamen quod si plures heredes fuerint vel fideicommissarii pro indivisso possidentes vel administrantes sufficiat petenti usuras ut totum consequatur quod petit, si unus ex predictis conveniatur aut etiam condempnetur, nisi comunem et legitimum pro omnibus deputaverit responsalem. Vult eciam et mandat ipsas usuras et male ablata, certa tam per se, si vixerit, quam per heredes suos et commissarios vel alias personas quibus ordinasset, si decesserit, hoc modo et forma restitui, videlicet: quod predicta restitutio fiat de plano sine strepitu et figura iudicii, cum plenis et simplici⟨bu s probationibus, secundum quod domino episcopo vel eius vicario pro utilitate et salute anime ipsius A. quod melius videbitur convenire. Item quod inspecta qualitate persone et quantitate debiti petentis et forma et aliis circumstanciis, possit dictus dominus episcopus vel eius vicarius, si sibi videbitur secundum suam bonam conscienciam super usuris unius anni, cuicumque petenti et agenti, et maxime si ostenderit instrumentum incisum, prestare seu deferre corporaliter iuramentum nisi de maiori tempore vellet probare, in quo casu de maiori tempore anni audiantur probationes ipsius; item quod stetur quaternis, rationibus et instrumentis ipsius domini A. in quantum prosunt petenti. Si vero non invenirentur persone quibus usure predicte restituantur, tam

residuum ipsarum usurarum quam etiam male ablata incerta predicta, quandocumque videbitur prefato domino episcopo vel eius vicario, apud ipsos vel ipsorum alterum seu aliam idoneam personam quam deputaverit debeant pervenire, danda vel distribuenda pauperibus Christi vel in alias pias causas, secundum quod prefato domino episcopo vel eius vicario secundum eorum bonam et rectam conscienciam melius et utilius pro salute animi prefati domini A. videbitur convenire. Pro quibus omnibus et singulis atendendis per se suosque heredes[uu] cum refectione dampnorum, interesse et expensarum habitorum per quamcumque personam in iudicio sive extra, michi notario infrascripto stipulanti et recipienti nomine antedicto idem dominus A. obligavit se nomine pignoris omnia bona sua mobilia et inmobilia, presencia et futura; que bona taliter obligata constituit se precario nomine possidere pro predictis domino episcopo, eius vicario omnibusque quorum interest vel interesse poterit donec predicte usure, male ablata certa et incerta illis personis, quibus debentur, et Christi pauperibus fuerint restituta et etiam dispensata iuxta formam superius pretasatam; promittens ipse dominus A. quod non probabit pactum, finem, remissionem, solutionem usurarum et male ablatorum nisi per publicum instrumentum predicti domini episcopi vel eius vicarii auctoritate factum vel per ipsos seu eorum alterum. Renuncians etiam exceptioni doli mali et in factum actioni, conditioni sine causa vel ex iniusta, simulationi, deceptioni, fraudi, appellationibus, supplicationibus, reclamationibus, restitutionibus in integrum eciam per pactum expresse renuncians; et insuper statutis, reformationibus, concilii communis Padue factis et fiendis, literis impetratis vel impetrandis et generaliter omnibus aliis exceptionibus, tam iuris quam facti, ac omni auxilio legis vel canonis, quibus ipse vel sui heredes contra premissa possint se tueri vel aliquod predictorum, quas omnes exceptiones tam generaliter quam specialiter expressas perinde ac si omnia specificata forent, et pro specificatis vult haberi, eciam si in generalitate predicta maiora expressis comprendatur, per speciale pactum remittit, ita tamen quod in arbitrio domini episcopi vel eius vicarii relinquatur, si qua admittere voluerit vel crediderit admitenda. Dans et concedens nichilominus predicto domino episcopo eiusque vicario plenam liberam potestatem si in non veniendo et non comparendo in iudicium vel extra vel non attendendo omnia et (p.9) suprascripta ipse vel sui heredes se reddiderint contumaces, non obstante si predicti heredes dicent se minores vel infantes non habentes tutorem vel curatorem vel procuratorem seu actorem et ideo artari et conveniri vel excomunicari vel ipsorum bona possideri non posse, et bona inventa de predictis bonis et usurariorum non sufficerint ad restitutionem usurarum et male ablatorum omnium faciendam, excommunicandi ipsos et heredes suos et commissarios cuiuscumque conditionis existant, bonam et multam imponendi, tenutam sive possessionem accipiendi et dandi omnium bonorum suorum mobilium et immobilium, presentium et futurorum, si opus fuerit, semel et pluries sine alia citatione et iuris solempnitate et ordine usque ad satisfactionem predictam usurarum et male ablatorum, omnium certorum et

[uu] *nel testo* heredibus

incertorum debitam et condignam. Insuper dominus B., precibus et mandatis supradicti domini A., pro ipso extitit fideiussor, obligans se et suos heredes omnibus pactis, conditionibus, stipulationibus et renunciationibus antedictis sub ipotecha omnium suorum bonorum mobilium et immobilium presentium et futurorum usque ad satisfactionem predictarum usurarum et male ablatorum omnium certorum et incertorum debitam et condignam; expresse renuncians per pactum beneficio constitutionis de fideiussoribus, quod principalis prius debeat conveniri, et bona de executi quam fideiussor; promittens omnia et singula attendere et observare nec ullo modo vel ingenio de iure vel facto contra premissa venire vel aliquo⟨d premissorum corporali prestito iuramento.

(25/3) Si vero fuerint duo fideiussores vel plures, dicatur: insuper N. et M. precibus eciam et mandato dicti domini A. extiterunt fideiussores et obligaverunt se et suos hredes in solidum modiis, pactis, condicionibus et stipulationibus et renunciationibus antedictis, sub ipotecha omnium suorum bonorum mobilium et immobilium presentium et futurorum usque ad satisfactionem predictarum usurarum et male ablatorum certorum et incertorum debitam et condignam, ac expresse renunciaverunt per pactum beneficio epistole divi Adriani[vv] et novis constitutionibus de fideiussoribus, et duobus vel pluribus reis debendi; promittens omnia et cetera ut supra. Si autem fuerit aliqua mulier que fideiubet, dicatur: insuper domina Gualdrata precibus et mandatis et cetera, et ponatur ut supra dictum est de uno fideiussore, hoc adito: quod ipsa renunciet beneficio consulti Velleiani, qui dicit quod fideiussio mulieris pro altero facta non teneat; promittens et cetera ut supra. Et si illi qui volunt fideiubere sint filii usurari, sic dicatur ut supra de pluribus fideiussoribus, hoc addito: quod si essent minores, quod de voluntate patris extiterint fideiussores et quod expresse renunciant beneficio inventarii et contra premissa non venient ullo modo vel ingenio occasione minoris etatis vel alia quacumque de causa, corporali prestito et iuramento. Et si dicti minores nolent iurare, non recipiantur pro fideiussoribus nisi sint sufficientes. Si extranei inveniantur, qui vellent fideiubere, quibus non inventis recipiantur filii sive sint in potestate patris sive non, hoc observato, quod diximus de filiis minoribus ut non recipiantur fideiussores nisi ut supra diximus.

(26) (Sui chierici che partecipano a funerali senza essere esplicitamente invitati)

Statuimus quod nullus presbiterorum, capellanorum et clericorum sit ausus quovis modo ad alienam ecclesiam, monasterium vel zenobium aut alium locum secularem vel religiosum ire vel accedere ad funus alicuius vel aliud officium funeris sive nocturnas obsequias vel vigilias, nisi fuerit vocatus a presbitero vel rectore illius ecclesie vel parochie loci vel nisi per voluntatem heredum defuncti specialiter invitatus, vel a nobis licentiam obtinuerit specialem. Qui vero contrafecerit, pro pena qualibet vice soldos viginti persolvat,

[vv] *nel testo* dividriani

prout nobis videbitur, in usus pauperum convertendos et quicquid oblationis ob hoc percepit sacerdoti proprio infra triduum asignet sub pena predicta.

(27) (Sulla custodia dell'eucarestia e su come debba essere portata agli ammalati)

Statuimus preterea, ne propter iniuriam sacerdotum divina indignatio forcius exardescat, ut a sacerdotibus eucari[stia] in loco singulari, mundo et clavi signato prope altare seu iuxta semper honorifice conlocata devote[ww] (p.10) ac fideliter conservetur, ne ad illam temeraria manus possit accedere. Hoc idem dicimus et mandamus de custodia adhibenda de crismate et oleo cathecuminorum et etiam infirmorum. Adicientes ut, cum sacra hostia ad[xx] infirmum portetur, sacerdos inductus sepelicio[yy] et cotta honorifice ferat et manifeste, supposito velamine mundo, campanella et lumine, cum sit candor lucis eterne, ut ex hoc apud omnes fideles et devocio augeatur. Prohibentes insuper ac sub pena excomunicacionis mandantes ne quis ipsum sacrum corpus ad infirmum oculte seu asconse deferat, sicut a quibusdam audivimus imprudenter fieri, portando ipsum sub cappa vel indumento alio. Si vero in reditu ab infirmo in vase corpus Christi non fuerit, lumen extinguatur et campanella non pulsetur, ne idolatrare aliqui videantur. Precipimus eciam quod sacerdos deferens ad imfirmos corpus Christi numquam solus incedat sed semper aliquem socium clericum, et si clericum habere non posset socium laicum secum ducat. Et faciens contra premissa vel aliquod premissorum, pro qualibet vice penam decem librarum incurrere volumus, ut circha talem excessum enormem talis temeritas puniatur, in ornamenta seu utilitatem ecclesie in qua beneficiatus est convertendam.

(28) (Sulla celebrazione della festa del patrono San Daniele martire)

Festum beati Danielis martiris patroni nostri singulis annis in nostra paduana ecclesia futuris imperpetuum celebrari temporibus debitis devotione ac reverencia celebrari cupientes, monemus omnes et singulos archipresbiteros et parochiales presbiteros nostre iurisdicioni subietos, ac distripte in virtute sancte obediencie et sub excomunicacionis pena mandamus quatenus festum predicti martiris gloriosi, quod celebratur tercia dominica mensis maii, in suis kalendariis debeant anotare, ac in ipsa die festi cum populo sibi comisso sicut devote poterunt devotissime celebrare, et legitimo impedimento cesante, venerandum corpus sanctissimi patroni nostri visitari procurent nec expectent de cetero per alios invitari.

[ww] *nel testo* de nocte
[xx] ad *corretto da* adhibenda *con* hibenda *depennato*
[yy] *per* superpellicio

(29) (Sull'indifferibilità del battesimo)

Quia pungit[zz] nos acriter aculeo doloris interius quedam verba que de quibusdam parvulis absque salutifero baptismatis sacramento ob parentum et capellanorum suorum negligenciam culpabilem decedentibus gratia divine visionis[aaa] privatis audivimus, nos tanto periculo animarum et dampno inextimabili providere, Deo propicio, totis desideriis cupientes, ⟨h ac generali sinodo monemus solempniter semel, secundo et tercio omnes et singulos presbiteros et parochianos nostre civitatis et diocesis tam presentes quam absentes, quibus cura imminet animarum, et eis sub pena excomunicacionis quanto districtius possumus precipimus et mandamus quatenus parochianos et populum sibi comissum utriusque sexus in ecclesiis suis seu alibi, et quando convenit maior populi multitudo, ex parte et auctoritate nostra moneant solempniter et sub pena excomunicacionis districte precipiant quatenus quilibet ex ipsis filios suos infra octo dies postquam nati fuerint ad ecclesiam deferi ⟨et per parochiales sacerdotes suos batiçari faciant et procurent. Volumus insuper et mandamus quod presens monitio et mandatum quolibet mense semel in qualibet ecclesia tanquam sacra lectio repetatur. Sacerdotum vero negligenciam, si per eos steterit quominus[bbb] dicti parvuli baptiçentur, ultra penam iuris pena decem librarum huius statuti multamus, qui vero dictas monitiones facere et huiusmodi constitutionem nostram singulis mensibus publicare distulerint, nostro arbitrio puniemus.

(30) (Che le madri non tengano i figli sotto i due anni nel proprio letto)

Nulle mulieres lactantes pueros infra biennium existentes sub excomunicacionis pena in eodem leto secum tenere presumant, (p.11) ne ipsos opprimant et perimant dormientes fiantque auctrices funerum quas nutrices ⟨esse convenit filiorum. Mandantesque per parochiales sacerdotes in festivitatibus Nativitatis et Resuretionis dominice ac Penteconstes et Asumptionis Domine nostre hoc statutum[ccc] populo anunciari infra missarum solempnia teneantur, sub pena soldorum centum quam incurrant si hoc negleserint adimplere.

(31) (Sui periodi interdetti alla celebrazione dei matrimoni)

Item statuimus quod prelati et rectores ecclesiarum parochianos suos publice debeant admonere ne usores ducant tempore ab Ecclesia interdicto, videlicet a dominica de Adventu inclusive usque ad Epifaniam, a dominica de septuagesima similiter inclusive usque ad octavam Resuretionis dominice, et a prima die Rogationum usque ad octavam Pentecostes per octo dies, intimando nobis vel vicario nostro si aliqui fuerint contrarium facientes, ut eos

[zz] *nel testo* pungunt
[aaa] *nel testo* divisionis
[bbb] *nel testo* quodminus
[ccc] *nel testo* statuto

nostro arbitrio puniamus. Sacerdotes vero non nunciantes, ut premittitur, in ecclesiis suis penam XV soldorum incurrere volumus.

(32) (Sui doveri per il mantenimento di pievi e cappelle)

Quia pastoris[ddd] ⟨est utilitatibus ecclesiarum providere et subietos suos ab amfratibus litigiorum penitus removere, considerantes quod plereque plebes et capelle civitatis et diocesis nostre paduane quartam partem fabrice deputatam non recipiunt nec eciam clerici earumdem, et sic ad restitutionem[eee] et thesauriçationem ipsarum plebium et capellarum non tenentur, volentes super predictis tam ecclesiis quam sacerdotibus earum et eorum parochianis de oportuno et necessario remedio providere, statuimus et ordinamus quod omnes parochiani plebium et capellarum civitatis et diocesis nostre paduane, quibus quarta pars fabrice deputata est, ad refetionem et reparationem tam ecclesiarum quam domorum presbiterorum et ad sarta[fff] et tecta necnon ad thesauriçandam ecclesiam suam omnino teneantur, hac tamen modificatione et moderatione adhibita quod[ggg] parochiani capellarum ecclesias suas, domos sacerdotum, teta et seta[hhh] reficere et reparare omnino teneantur, et nichilominus si plebe dicte diocesis nostre refictionem indigeant, parochiani capellarum decimum denarium ad contribuendum cum parochianis plebis solvere omnimode teneantur, videlicet quod ubi parochiani plebis in refectione plebis seu domorum conferunt seu solvunt novem soldos, soldum unum parochiani cuiuslibet capelle eius plebis solvere solumodo sint astricti; ubi vero quarta pars fabrice deputata est ecclesiis seu clericis ecclesiarum predictarum, parochiani, eo casu quo ad refectionem seu reparationem dicta quarta pars non suficeret, quartam partem residui quod deficit contribuere censura ecclesiastica compelantur.

(33) (Sui vestiti dei sacerdoti)

Item monemus omnes sacerdotes parochiales civitatis Padue et suburbiorum quod absque tabarro, capa vel mantello parochiam suam non exeant; alioquin contrarium facientes in X libris parvorum pro qualibet vice qua exierint condempnamus, quod observari volumus si absque bireto per civitatem publice inceserint, cuius pene medietatem nuncianti volumus aplicari.

[ddd] *nel testo* pastoralis
[eee] *probabilmente per* restaurationem
[fff] *nel testo* seta
[ggg] *segue* capellarum *depennato*
[hhh] *per* tecta et sarta

(34) (Sui simoniaci)

Quoniam simoniacha pravitas inter omnia crimina detestabilior iudicatur adeo quod eius respetu cetera crimina quasi pro nichilo reputantur, ipsam vigilanti studio a nostris subditis intendimus amovere. Ideoque presenti santione duximus statuendum ut quivis clericus tam subditus quam prelatus cuiuscumque status seu conditionis existat, qui contra Deum et iusticiam et bonum conscientie beneficium, dignitatem seu rectoriam tenet vel in futurum tenebit, quod vel que per se vel alium aquisitum fuerint per simoniacham pravitatem, sine mora illud vel illa in nostris manibus libere resignet penitus et dimitat, et ad refectionem omnium fructuum et proventuum quos quilibet talis receperit ipsi ecclesie in cuius preiudicium recepit integre restituere teneatur. Et si talem resignationem per duos menses a tempore beneficii sic optenti dampnabiliter computandos seu a tempore scientie, quando per alium simoniace contigerit optinere, facere animo distulerit indurato, ultra penas predictas et alias penas iuris, pena librarum L multamus in utilitatem ecclesie quam depravavit omnino convertenda[iii].

(35) (Sui chierici e l'attività di notariato)

Item statuendo inhibemus omnibus clericis beneficiatis vel in sacris ordinibus constitutis, ultra penam iuris, sub pena decem librarum pro qualibet vice comitenda qua fuerit contrafactum, ne tabelionatus officium in civitate et diocesi paduana sine nostra licencia speciali et mandato, exceptis casibus a iure expressis, nullatenus debeant exercere, cuius pene medietatem accusanti seu denuncianti volumus aplicari.

(36) (Sulla gratuità dei sacramenti conferiti e sul crisma)

(p.12) Caveant sacerdotes ne pro dandis ecclesiasticis sacramentis aliquid petant vel exigant a quocumque. Si vero aliquis inventus fuerit qui pro conferendis sacramentis Ecclesie alicui[jjj] persone aliquid petierit ita ut ea videatur tradidisse venalia, preter[kkk] penam canonicam ipsum in libris decem parvorum pro qualibet vice condempnamus. Precipimus eciam presbiteris et clericis universis ut corpus Christi, crisma, oleum sanctum nulli dare presumant vel permittant accipere ab aliquo ad aliquid peragendum quam sit per Ecclesiam ordinatum; alioquin illum qui dederit vel permiserit accipere ultra penam iuris in libris decem parvorum pro qualibet vice condempnamus. Plebani et parochialium ecclesiarum rectores crisma de manu sacriste ecclesie paduane personaliter sint astricti ⟨recipere , nisi aliqua necesitate[lll] personaliter venire nequeant[mmm], seu causa rationabilis eos valeat excusare. Et

[iii] *nel testo* convertendam
[jjj] *segue* viro *superfluo*
[kkk] *nel testo* propter
[lll] *nel testo* necesitas

tunc non per laicos sed per sacerdotes ydoneos seu clericos bone fame pro ipso crismate recipiendo destinent, prius eis iuramento delato quod ipsum crisma sacerdoti destinanti fideliter assignabunt, pro quo crismate nichil penitus exigatur sed gratis et liberaliter concedatur. Si quis vero contra premissa fecerit vel aliquod premissorum, penam quinque librarum ⟨se noverit incursurum.

(37) (Sui chierici concubinari)

Cum clerici caste vivere debeant et honeste, statuimus ne aliquis clericus, qui sacrum ordinem seu beneficium fuerit ecclesiasticum asecutus vel imposterum consequetur in civitate et diocesi paduana, in caminata vel domibus ecclesie sue vel alibi in quacumque domo ipse permanserit seu habitaverit, concubinam tenere audeat publice vel aliquam suspetam de cetero mulierem. Et qui contrafecerit in libris XXV parvorum pecunialiter condempnamus, penis iuris constitutionum legatorum et patriarcalium[22] nichilominus in suo robore permansuris; quam penam XXV librarum tenentes ad postam suam extra habitationem publice concubinas incurrere volumus ipso facto. Si vero ex causa aliqua legitima necesse habeant tenere secum aliquam mulierem, tunc licite habere possint in domo sua, quamdiu causa duraverit, matrem, sororem, consanguineam, amitam vel afinem aut aliam mulierem, dummodo tanti temporis talisque conditionis existat ut de ipsa nequeat suspicio aliqua suboriri, prius tamen de talibus in domo tenendis a nobis petita licentia et obtenta. Alioquin contrafacientes pro qualibet vice qua nobis fuerint accusati penam V librarum se noverint incursuros, quarum medietatem penarum aplicari volumus nuncianti. Et tunc publice presumantur tenuisse et tenere, si de facto retineant vel clam, cum prolem susceperit excinde mortuam seu vivam, in cuius probatione prolis cum fama testis unus eciam domesticus suficiat ad probandum.

(38) (Contro coloro che ricorrono a maghi e fatucchiere)

Precipimus et statuimus sub pena decem librarum et nichilominus sub pena excomunicacionis mandamus quod nullus ad sortilegos seu sortilegas pro sortibus[nnn] exercendis audeat habere recursum, pena iuris in suo robore permanente.

(39) (Sull'abuso dell'eucaristia, dell'olio santo e dell'acqua benedetta)

Item inhibemus atque mandamus quod nullus sacramento eucaristie, oleo sancto seu aqua benedicta abutatur, presertim pro maleficiis exercendis; nullus insuper demones audeat

[mmm] *segue* debeant *che non dà senso*
[nnn] *nel testo* sordibus

invocare nec ad invocatos habere recursum pro invocatione huiusmodi exercenda; nullus insuper osibus mortuorum seu aliqua parte humani corporis seu hominis mortui vel viventis uti audeat ad maleficia[ooo] facienda. Si quis autem contrarium fecerit, sententiam excomunicacionis incurat dapnabiliter ipso facto.

(40) (Scomunica ai violatori di luoghi sacri e a chi ruba oggetti sacri)

Excommunicamus et anatematiçamus in hiis scriptis, ex parte Dei omnipotentis et nostra, omnes efratores, violatores, incendiarios ecclesiarum et ocupatores violentos bonorum immobilium ecclesiasticorum necnon eos qui violenter ocupant vel furto subtrahunt calices, cruces, libros, ornamenta seu paramenta quecumque ad ecclesias et maxime ad orantum altaris pertinencia.

(41) (Contro l'intervento indebito di laici nelle nomine per i benefici)

(p.13) Quarundam ecclesiarum et personarum secularium abusum, qui ad ea que sibi a iure noverint interdicta ausu temerario manus extendunt, refrenare coherci⟨cio one debita cupientes, ⟨h ac generali constitutione sinodali sancimus monentes pro primo, secundo et tertio termino et perhemptorio ut in ecclesiis que ad nostram ordinationem seu provisionem immediate pertinere noscuntur nullus, postquam aliquam ipsarum vacare contingerit, nostram ordinacionem seu provisionem per se vel per alium quoquo modo impedire presumat quominus nostra provisio seu ordinatio debitum consequatur effectum et provisus possessionem pacificam beneficii per nos collati nanciscatur[ppp]. Alioquin quemlibet impedientem nostram provisionem seu ordinationem seu quominus possessio pacifica beneficii habeatur, cuiuscunque status vel conditionis existat, nisi infra quindecim dierum spacium destiterit a premissis, excomunicacionis sentenciam incurere volumus ipso facto.

(42) (Sul comportamento da tenere da parte degli ufficiali di curia)

Considerantes et atendentes quod "ubi caritas et amor est ibi Deus est"[23], mandamus et ortamur omnes et singulos officiales episcopalis curie paduane et advocatos curie eiusdem cuiuscumque status, ordinis et conditionis existant, tam presentes quam futuros, advocationis officium exercentes sed aliud officium in curia antedicta, quod[qqq] sint et esse debeant pacifici et modesti, ab iniuriis quibuscumque totaliter abstinentes et ab omni materia questionis. Et si, quod absit, inter aliquos ex predictis verbo, actu vel facto aliqua fiat iniuria, lis, questio, controversia vel materia discordie oriatur, ad nos vel vicarium nostri debeant iniuriati habere

[ooo] *segue* exercenda *depennato*
[ppp] *nel testo* naciscatur
[qqq] *segue* interesse *depennato*

recursum et iniuriantes denunciare nobis vel vicario nostro. Ad curiam secularem per se vel per alios publice vel oculte predictas iniurias quoquomodo notificare, denunciare vel predictos iniuriantes accusare audeant vel presumant. Si autem contrarium fecerit, officio advocationis[rrr], si advocatus fuerit, et alius officialis officio suo obtento et obtinendo in curia antedicta per annum continuum volumus esse privatus.

(43) (Obblighi di rendicontazione per gli esecutori di testamenti per i lasciti con erogazioni annue)

Cupientes super executiones testamentorum materiam precidere delinquendi[sss], presentis sinodi auctoritate statuimus quod quilibet executor ultime voluntatis cuiuscumque status, ordinis vel conditionis existat, etsi prelationis fungatur officio, sive sub proprio nomine sive sub apelativo executio fuerit deputata quovis nomine vel vocabulo in ultimis voluntatibus nuncupet⟨ur suscepte executionis singulis annis, cum fructus seu redditus seu aliquid annuum relicti fuerint eius officio dispensandi, si vero pecuniam seu alie res non annue modo similiter fuerint relicte, infra duos menses a tempore quo executionem facere debuit ex forma ultime voluntatis vel de iure computandos, nobis debitam atque iustam absque fraude et dolo teneantur reddere rationem de dispensatis pariter et receptis, eciamsi testator seu dispositor ultime voluntatis eos executores vel executorem liberaverit sub quavis forma verborum a redende administrationis ratione[ttt]; quam rationem, ut premittitur, executores si reddere recusaverint vel negleserint quoquomodo in terminis supradictis, si clerici sint, per privationem beneficii posint per nos ad id constringi seu aliis remediis oportunis; si vero laici sint, censura ecclesiastica compelantur vel alio quovis modo prout nobis videbitur expedire. In omni rationis reditione, variis opinionibus resecatis, in minutis stetur executoris simplici sacramento et aliis vero eorum quaternis et libris seu codicibus rationum, si bone fame et opinionis existat, prius tamen ab eodem recepto sacramento de veritate dicenda et etiam dummodo particulariter, clare et distincte de introitibus, expensis et distributionibus per eos factis cum descriptione nominum quibus facta est distributio antedicta et pro qua causa in eorum libris, codicibus et quaternis appareat evidenter. Que omnia, sive minuta vel non, inspetis circumstanciis et conieturis personarum et rerum, nostro arbitrio, cum redditur ratio antedicta, reservamus tunc temporis declaranda. Predicta trahi volumus ad preterita et pendentia non decisa. Quod statutum locum habeat in omnibus executoribus, exceptis eis qui secundum formam testamentorum tenentur dominis archipresbitero et capitulo paduano reddere rationem.

[rrr] *nel testo* edvocationis
[sss] *nel testo* delinquenti
[ttt] *nel testo* ostensione

(44) (Sui compensi dei consultori nelle cause ecclesiastiche)

Quia sepe in salariis sapientis per nos seu vicarium nostrum super articulo alicuius interlocutorie vel difinitive cause inite vel [...][uuu] coram nobis vel vicario nostro asumpti scrupulus in animo parcium et sapientis asumpti plerumque [...][vvv], (p.14) hoc perpetuo statuto provide statuimus quod, si sapiens aliquis super articulo uno seu pluribus simul ante litis contestationem asumatur, pro salario sui consilii habeat ab ambabus partibus denarios decem, videlicet a qualibet parte pro virili, pro qualibet libra principalis questionis, si dicta questio principalis ascendat ex forma petitionis seu libelli usque ad summam quinquaginta librarum vel infra, si vero pluris quinquaginta, tunc abinde supra usque ad libras centum, denarios VIII; si vero pluris centum, tunc abinde supra denarios VI; si vero super articulo uno et pluribus post litem contestatam ante difinitivam assumatur, sapiens pro salario suo habeat denarios XII pro qualibet libra principalis cause, ⟨si ex forma petitionis seu libelli ascendat ad L libras vel infra; si vero pluris L ab inde supra usque ad centum, denarios VIII; si vero super diffinitiva sapiens assumatur, pro qualibet libra habeat denarios XIIII, si principalis causa ascendat ad summam librarum C vel infra; si vero pluris ducentarum ab inde supra, denarios VIII pro qualibet libra pro salario sapientis in premissis asumpti vel aliquo premissorum volumus assignari; salva nobis potestate scilicet ex facundia et sapientia sapientis ad consulendum asumpti, amplius salarium propter ipsius scientiam prerogativam nobis videbitur peraugendum. Verum quia in quibusdam causis litis contestatio non exigitur, ut sic aliquod ante litis contestationem vel post factum veraciter dici non posset, cum nulla contestatio facta fuit, ideoque si contingat in dictis causis ante diffinitivam sententiam aliquem articulum sive articulos committi consilio sapientis, quoad tasationem eiusdem articulorum seu articuli sic commissi facti tali tempore reputentur quali dicerentur si iudicio ordinario ageretur. Et quia plerumque questiones principaliter mote vel movende extimationem pecuniarum non recipiunt, ideoque in eorum articulis ante litis contestationem vel post seu diffinitivam consilio sapientis commissis, salario eiusdem nostro arbitrio reservamus. Si vero causa mota in petitione pro vice pecunie non consistat, sed in possidendis aliis rebus vel iuribus extimacionem pecuniariam recipientibus, summarie prius habita informatione aliquali de quantitate reddituum et valoris circumstancium possessionum vel rerum similium per partes et alios, si opus fuerit, quod nostro arbitrio reservamus, per duos notarios curie, quibus comiserimus, fiat extimatio rerum in iudicio principaliter vel accessorie petitarum, ut tali extimacione facta salaria sapientum ad consulendum assumptorum sint liquido manifesta. Predicta autem habere locum volumus in pendentibus non decisis.

[uuu] *circa dieci lettere illeggibili per sbiadimento dell' inchiostro*
[vvv] *circa dieci lettere illeggibili per sbiadimento dell' inchiostro; Dondi (si cfr. le sue due edizioni) sembra leggere o divinare* ingeritur. *Inoltre il foglio è ora danneggiato ed è stato rinforzato con carta incollata.*

(45) (Sulla retribuzione degli avvocati nella procedura planaria nelle cause petitorie di salari)

Cum de opere et mercede agitur ⟨et sumaria cognitio ex consuetudine et stilo curie nostre sit solita adhiberi, provide statuimus quod in causis quibus petitur merces, salarium seu stipendium pro operibus eciam mecanicis actis vel scripturis quibuscumque et specialiter in curia nostra factis in eis simpliciter de plano sine strepitu et figura iudicii procedamur, adeo quod circumductis litigiorum amfratibus solum mera veritas requiratur, ut sic dummodo ex actis in dictis causis factis veritas rei pateat ratione cuiuscunque solempnitatibus omissis, processus ipsi et sententia ex ipsis subsecuta seu preceptum vel monitio nullatenus valeat irritari seu aliqualiter annullari ne ab ipsis sententia, precepta vel monitione possit per partem aliquam apellari, supplicari, reclamari seu in integrum restitutio peti. Quod in salariis sindicorum, advocatorum et procuratorum eorum officium in nostra curia exercencium volumus observari; et salarium predictorum, licet incertum sit promissum, nichilominus peti possit, dummodo in petitione posita seu libello petatur per partem agentem, per nos vel vicarium nostrum in probatione sententie seu precepti quantitas congrua declaretur. Et in ipso salario sic incerto petendo, forma observetur ac in ipsius exatione superius enotata; cuius salarii incerti, inspetis circumstanciis et conieturis personarum et rerum, ipsarum quantitas congrua declarabitur per nos vel vicarium nostrum, cum preceptum super eodem salario vel sententia proferetur in scripturis, atque per constitutionem nostram sunt taxate, vocata parte personaliter et citata semel vel bis ad (p.15) domum proclamata ad videndum taxationem declarari, nulla alia solepnitate observata. Si presens fuerit vel eo absente, si contumax fuerit, cum de scripturis, summarie tamen et sine aliqua solepnitate et declaratione salarii constabit per manum unius ex notariis curie, cui per nos fuerit commissum, partibus non suspetis in fine scripturarum, secundum taxationem constitutionis nostre per nos seu vicarium nostrum fiat admonitio de solvendo. Si vero de his scripturis pro quibus petitur mer⟨ce s laboris, nulla taxatio per nostram constitutionem existat, tunc vocatis partibus et citatis personaliter semel tantum vel bis ad domum clamatis, si de scripturis constet veraciter quoquomodo nulla alia solepnitate observata, in eorum presentia vel asencia contumaciter uni ex notariis curie, partibus non suspeto, taxatio comitatur, ut secundum bonam, retam et puram conscienciam taxationem faciant debitam et condignam, quam taxationem sua manu in fine scripturarum scripbat. Quibus sic peractis fiat admonitio de solvendo. A qua monitione apellari, supplicari, reclamari seu in integrum restitutio peti non possit vel alio quocumque modo conveniri volumus, et sic mandamus omnino observari. Quem predictum modum procedendi observare volumus cum de pane et vino in minutum dato agitur coram nobis. Et predicta trahi volumus ad preterita et pendentia non decisa.

(46) (Sull'obbligo di possedere copia delle presenti costituzioni)

Mandamus[www] et precipimus omnibus abbatibus, prioribus, archipresbiteris, prepositis ac omnibus prelatis ecclesias collegiatas habentibus quatenus predictas constitutiones integraliter, sub pena V librarum, usque ad tres menses in suis ecclesiis scriptas habeant et easdem coram subditis studeant publicare.

Lecte, late et publicate fuerunt suprascripte constitutiones sub anno Domini M°CCC°LX°, indicione terciadecima, die dominico octavo mensis marcii per Matheum de Castro Vallismontani filium domini Iohanis de Iustinopoli notarium et officialem episcopalis curie paduane, suprascripto millesimo et die suprascriptis.

(p.16) Millesimo IIIcentesimo LXII, indicione XV, die sabbati XXVIIII mensis ianuarii, Padue in episcopali curia paduana, presentibus Palmerio notario et officiali episcopalis curie paduane et Rubeo de Capitevici testibus et aliis. Dominus Gerardus de Vedoaciis de Bononia[xxx] presentavit coram domino Nicolao vicario domini Pilei episcopi paduani pro domino archipresbitero de Buvolenta suprascriptas constitutiones reverendi in Christo patris et domini domini Pilei, Dei et apostolice sedis gratia episcopi paduani, et dominus vicarius precepit dicto domino Gerardo procuratori suprascripti domini archipresbiteri de Buvolenta quod dictas constitutiones debeat dictus dominus archipresbiter servare et ipsas constitutiones presentare tociens quociens esset[yyy] sibi mandatum[zzz] et facere secundum quod in dictis constitutionibus plenius continetur.

Archipresbiteri de Buvolenta paduane diocesis.

Domini archipresbiteri de Buvolenta, videlicet presbiteri Augustini rectoris eiusdem ecclesie suprascripte de Buvolenta paduane diocesis[aaaa].

Archipresbiteri de Buvolenta paduane diocesis.

[www] *la scrittura per quest' ultima costituzione e per la sottoscrizione successiva è di modulo molto più ampio*
[xxx] *segue* et
[yyy] *segue* vocatus *depennato*
[zzz] sibi mandatum *in margine destro con segno di richiamo;* mandatum *letto dal Dondi e attualmente coperto da carta incollata*
[aaaa] Domini … diocesis *nuovamente di modulo più ampio*

§IV3d 1433-47, PIETRO DONATO

COSTITUZIONI DI PIETRO DONATO
1433 giugno 3, Padova

Biblioteca apostolica vaticana, Vaticano latino 4882, f 80r-86v.

Già edito inF.S.Dondi dall'Orologio, *Dissertazione nona sopra l'istoria ecclesiastica padovana*, Padova 1817, documento XIII, p 32-43.

(80r) Incipiunt constitutiones sinodales noviter facte et condite anno Domini millesimo quadringentesimo trigesimo tercio, inditione undecima et publicate in generali sinodo feria quarta post Pentecostem sub reverendo in Christo patre et domino domino Petro Donato, Dei et apostolice sedis gratia episcopo paduano.

Sequntur aliqua pro utilitate ecclesiarum civitatis et diocesis nostre paduane et subdictorum nobis clericorum honestate constituta.

(1) *(Sui chierici concubinari)*[24]

Et primo, quia qui sacra contractant mundi quantum est possibile a sorde esse debent, et qui Pasca comedere iubentur accinctis renibus manducare precipiebantur, curandum est nobis ut clerici precipue in ordine sacerdotali seu in aliqua alia administratione constituti quantum prospicere convenit esse debeant continentes. Et quia in hac nostra diocesi deferente fama presenssimus nonnullos ex nostris clericis tenere concubinas non solum in alienis verum in suis propriis domibus ex quibus filios gradientes super terram procrearunt, in grande dedecus ordinis clericalis et nostrum, propterea non valentes huiusmodi qui fere sunt notorii in hiis sordibus amplius tolerare, stauimus ut cum primum ad noticiam nostram seu nostri vicarii pervenerit, maxime fama publica deferente, aliquos seu aliquem ex nostris clericis nostre iurisditioni subiectis cuiuscunque sint ordinis, gradus vel preheminentie, focariam seu concubinam in alienis vel propriis domibus tenere, tunc debeat tali intimari constitutio bone memorie domini Latini olim in hiis partibus apostolice sedis legati[25], mandando ut sub pena in constitutione illa contenta debeant infra tres dies, qui eis assignentur pro ultimo et perhemptorio termino, a se abiecisse focariam seu concubinam realiter et cum effectu, nunquam amplius ad talem reddituri. Quod si elapso termino trium dierum hoc facere neglexerint, declarentur absque ulteriori processu privati beneficiis que tenent, iuxta dispositionem illius constitutionis cuius tenor sequitur et est talis:"Quamvis comcubinarios clericos sacri canones severitate multiplici persequantur, quia tamen plerique timore Dei postposito in huius vicii turpitudinem non solum oculte sed etiam publice

inveniuntur offendere, nos, eorum impudentiam opportuna districtione confundere ac reprimere cupientes, monemus omnes clericos nostre legationis qui vel sacrum ordinem vel ecclesiasticum beneficium sunt adepti seu adipiscentur in posterum, ut nullus eorum concubinam seu focariam publice tenere presumat[bbbb]; et qui suadente diabolo detinent infra octo dies, ex quo presentem constitutionem in sua civitate aut diocesi publicata esse cogno(80v)verint, eas a se prorsus abitiant nunquam de cetero recepturi. Si qui vero ex predictis concubinam seu focariam publice aut manifeste sive in domibus ecclesiarum sive alibi per duos menses post terminum supradictum non errubuerint retinere, beneficiis ecclesiasticiis, que infra nostre legationis terminos obtinent, ipso facto noverint se privatos. Episcopis autem et superioribus prelatis ad quos beneficiorum que taliter deliquentium fuerant collatio seu provisio pertinet, conferendi ea seu providendi de ipsis concedimus liberam facultatem. Aliis etiam ad quos ellectio seu presentatio ad beneficia eadem vel eorum provisio spectare dinoscitur liceat elligere seu presentare ad illa, etiam providere de illis ex quo per episcopos predicti clerici presentis constitutionis penam denuntiati fuerint incurrisse, ut sic eos[cccc] qui damna spiritualia parvipendunt temporalis saltim iactura coherceat a peccato. Datum sub millesimo trecentesimo trigesimo nono, inditione septima[26]."

(2) Ne intrent tabernam rubrica.

Item statuimus et ordinamus quod nullus clericus beneficiatus aut in sacris ordinibus constitutus iurisditionis prefati domini episcopi audeat vel presumat tabernam intrare nisi in itinere constitutus et neccessitate conpulsus. Qui contrafecerit tabernam intrando aut[dddd] multo deditus vino ebrius comprehensus fuerit, pro prima vice solvat camere pauperum Christi soldos viginti, pro secunda soldos quadraginta, pro tercia soldos sexaginta, pro quarta sit suspensus ab officio per unum mensem; si vero ultra repertus fuerit tanquam incorrigibilis privetur beneficiis.

(3) Ut ieiunent rubrica.

Item statuimus et ordinamus quod omnes clerici in sacris ordinibus constituti nostre iurisditionis, ut premittitur, teneantur et debeant ieiuniis preceptis ab ecclesia ieiunare; alie quoque vigilie, que ex statuto episcopi vel generali consueudine patrie introducte sunt, ieiunentur. Quicunque vero diebus quibus mandatum est ieiunare publice fregerit ieiunium seu in scandalum proximi non ieiunaverit, nisi fuerit iusta causa excusatus, utpote infirmitatis vel nimie senetutis, solvat soldos decem pauperibus carceratis nostre curie si fuerint, alioquin alteri curie nec antea possit absolvi per suum confessorem quam dictos soldos solverit (81r) ut premittitur.

[bbbb] *Nel ms* presumant *con* n *espunta*
[cccc] eos *nel sopralineo*
[dddd] *Nel ms* aud *con* t *corretto sopra* d

(4) Ne se immisceant publicis spetaculis rubrica.

Item presenti statuto prohibemus ne quis clericus maxime in sacris ordinibus constitutus presumat interesse se imiscendo publicis spetaculis utpote astiludiis, torneamentis, tripudiis et aliis huiusmodi vanitatibus. Qui contrafecerit, eo ipso penam quadraginta soldorum incurrat solvendorum camere pauperum Iesu Christi.

Ad honestatem etiam clericorum spectat delatio habitus congruentis.

(5) De vestibus quoad colorem rubrica.

Item statuimus ut quicunque clericus in sacris constitutus iurisditioni nostre subiectus, post publicationem presentis statuti veste rubei vel viridis coloris ultra triduum pubblice usus fuerit, si beneficiatus extiterit, per sex menses a perceptione fructuum beneficiorum suorum sit ipso facto suspensus, fructibus ipsis camere pauperum Christi applicandis; si vero non fuerit beneficiatus in sacris ordinibus tamen constitutum, per idem tempus reddatur eo ipso inhabilis ad beneficium ecclesiasticum obtinendum, et vestes nichilominus teneatur vendere earumque precium ad arbitrium prefati domini episcopi vel eius vicarii in aliquos pios usus convertere. Quod si infra mensem facere recusaverit, pena duplicetur.

(6) De habitu quoad formam rubrica.

Item sanctorum patrum quantum cum Deo possumus vestigiis inherentes, statuimus per quoscunque clericos beneficiatos vel non beneficiatos in sacris tamen ordinibus constitutos nostre iurisditioni subditos vestimenta superiora debere deferri undique clausa, longa usque ad talos tunc cum domum exeunt in pubblicum. Caputia vero per clericos beneficiatos vel non beneficiatos in sacris tamen ordinibus constitutos citra ordinem sacerdotii, statuimus esse defferenda cum cauda longa saltem per tres palmos, quam caudam pendula ultra palmum non excedat. Sacerdotes vero et prelati, qui sicut alios excedunt in dignitate ordinis, ita eos decet morum gravitate eos ante(81v)cedere, caputia portent adeo magna quod possint vestiri et ea portent vestita aut[eeee] ad colum cum bireto in capite secundum congruentiam temporum, quorum caputiorum pendula caudam[ffff] duos palmos non excedat. Si quis autem contra premissa vel aliquod premissorum facere presumpserit, qualibet vice qua contrafacere inventus fuerit solvat camere prefati domini episcopi libras duas parvorum; quod si impertinatia sua per sex dies perseveraverit sit eo ipso a perceptione fructuum omnium beneficiorum suorum suspensus per annum, et durante contumatia semper premissa pena intelligatur iterata.

[eeee] *Nel ms* aud *con* t *corretto sopra* d
[ffff] *Nel ms* caudam *con* m *depennata*

(7) De manicis et fodraturis rubrica.

Item statuimus ut manice duorum palmorum latitudinem[gggg] non excedant; fodrature autem omnes vestimentorum non attingant ex parte inferiori. Si quis autem in premissis vel aliquod premissorum contrafecerit, pro prima vice soldos quadraginta solvat camere pauperum Iesu Christi, pro secunda vero contumatia a perceptione fructuum beneficiorum suorum per sex menses sit suspensus, quos camere pauperum Christi deputamus. Si quis vero in premissis aut[hhhh] aliquo premissorum delinquens in sua pertinatia perstiterit, suorum beneficiorum privatione dignus habeatur.

(8) De fibulis rubrica.

Prohibemus insuper iuxta sacram ordinis dispositionem ne quis sacerdos fibulis aud corrigiis auri vel argenti ornatum habentibus aut[iiii] caligis solatis vel subtelaribus consuticiis utantur cum extra domum in publicum procedit, nisi forte doctor esset in dignitate constitutus seu canonicus nostre ecclesie, cui permittimus ut corrigiam auri seu argenti defere possit. Qui contrafecerit huiusmodi corrigias et calciamenta portando, arbitrio prefati domini episcopi vel eius vicarii infra unum mensem vendere teneatur et earum precium pauperibus Christi distribuere arbitrio premisso, alias puniendus prout prefato domino episcopo vel eius vicario videbitur.

(9) Ne postulent in iuditio pro laicis rubrica.

Item quia cognovimus quosdam sacerdotes contra iuris dispositionem indi(82r)ferenter in iuditio postulare pro extraneis personis huiusmodi iuris dispositionem trasgredientes, presenti constitutione sancimus ne quis sacerdos de cetero audeat vel presumat in iuditio seculari vel ecclesiastico pro quoquam postulare vel officium procuratoris exercere nisi in casibus a iure permissis. Quicunque autem contra hanc nostram constitutionem actemptare presumpserit, sit eo ipso a perceptione fructuum omnium beneficiorum suorum per sex menses suspensus, et nichilominus quicquid per ipsum actum vel procuratum fuerit, irritum sit et inane, et fructus applicentur fabrice ecclesie nostre paduane.

(10) Ut dicant officium rubrica.

Item statuimus ut unusquisque clericus, beneficium obtinens ecclesiasticum aut in sacris ordinibus constitutus intra iurisditionem prefati domini episcopi, scire teneatur divinum officium iuxta morem curie romane illudque actualiter dicat singulis diebus sicut a

[gggg] *Nel ms* lactitudinem *con* c *depennata*
[hhhh] *Nel ms* aud *con* t *corretto sopra* d
[iiii] *Nel ms* aud *con* t *corretto sopra* d

sanctis patribus ordinatum est[27]. Quicunque vero in sacris ordinibus constitutus post duos menses, in non sacris vero post annum a publicatione presentium, examinatus illud ignorare inventus fuerit, a perceptione fructuum omnium beneficiorum suorum sit eo ipso sunspensus, et tamdiu suspensus permaneat quamdiu in ea ignorantia permanserit; in qua si per annum post dictos duos menses perseveraverit, sit ipsis beneficiis ipso iure privatus. Sacerdotes vero curati in quibus maior scientia requiritur quia valde periculose sunt evangelice mine quibus dicitur: "Si cechus checo ducatum prestet ambo in foveam cadunt"[28], illi ultra officium premissum teneantur habere breviarium et missalle, insuper scire librum sacramentorum id est librum in quo continetur ordo ministrandi sacramenta ecclesiastica, quem librum unaqueque ecclesia curata teneatur habere paratum et bene corectum, et scire etiam computum quoad dies, menses et annos, ut sciat quo tempore currant festa tam mobilia quam imobilia et eorum vigilie per annum; teneantur quoque scire et in scriptis habere has constitutiones. Ecclesie vero collegiate, in quibus est numerus sacerdotum id est clericorum, ultra predicta que tenentur scire et habere, teneantur etiam habere lectionarium, antifanarium, salterium et omelias per circulum anni dominicis diebus et singulis festivitatibus aptos. (82v) Quicunque in premissis vel aliquo premissorum ignarus inventus fuerit post anuum a publicatione presentium, nisi legitimum impedimentum ostenderit, arbitrio prefati domini episcopi vel eius vicarii taliter castigetur quod eius pena aliis transceat in exemplum. Addentes quod plebani sive archipresbiteri debeant examinare suos capellanos et ipsi plebani sive archipresbiteri debeant examinari per dominum vicarium prefati domini episcopi.

(11) Quod clerici non defferant arma rubrica

Ad honestatem clericalem maxime pertinet clericos esse pudicos, pacificos et modestos, contra quam honestatem faciunt quidam selerati viri perditionis filii qui suis moribus ostendunt se non solum non esse clericos sed nec etiam cristianos, rissas et questiones moventes tam de die quam de nocte, nunc cum armis nunc sine armis et, quod deterius est, agressuras faciendo nunc in personas nunc in loca, per que honori ecclesie non modicum detrahitur et clerus ac populus permaxime scandalizetur. Nos igitur huic pesti occurrere cupientes statuimus et ordinamus quod nullus de cetero clericus sive in sacris ordinibus constitutus sive non, presumat rissas aut[jjjj] questiones maxime in platheis aut[kkkk] viis publicis movere aut[llll] agressuram facere in personas vel loca, de die vel de nocte, cum armis vel sine armis; intelligendo quod in itinere de loco ad locum liceat clericis portare arma etiam ob causam alicuius inimicicie, dummodo ipsa inimicicia non provenerit defectu ipsius clerici arma portantis, et de ipsa inimicicia sit notorium vel publicum. Quicunque contra

[jjjj] *Nel ms* aud *con* t *corretto sopra* d
[kkkk] *Nel ms* aud *con* t *corretto sopra* d
[llll] *Nel ms* aud *con* t *corretto sopra* d

premissa vel aliquod premissorum facere presumpserit, si de die moverit rissam sine armis et sine agressura solvat quinquaginta soldos camere pauperum Christi; si cum armis vel cum agressura acrius puniatur arbitrio prefati domini episcopi vel eius vicarii secundum qualitatem negotii et personarum; si de nocte tale quid facere presumpserit, si in habitu proprio et sine armis puniatur arbitrio prefati domini episcopi vel eius vicarii ut supra; si vero cum armis et sine habitu proprio inventus fuerit, capiatur et in illo habitu in quo inventus fuerit et cum armis usque ad lucescentem diem detineatur et deinde presentetur officio prefati domini episcopi puniendus prout ius et iusticia requirit, perdat nichilominus vestes et arma cum quibus inventus fuerit, que omnia cedant lucro capientium; si (83r) vero inventus fuerit agressuram fecisse in personas vel loca, omnibus beneficiis suis spolietur ut quos divinus teror a malo non revocat temporalis saltem pena coherceat a peccato, et nichilominus carceribus mancipetur ibique clausus remaneat donec integraliter satisfecerit lesis et penam suscipiat in personam pro qualitate delicti.

(12) Quod non ludant rubrica.

Prohibemus insuper ne quis clericus, sive in sacris sive non constitutus, ad aleas et taxillos cum pecuniis aut[mmmm] alios quoscunque ludos fortune ludere presumat[nnnn] aut[oooo] publice ludis interesse. Qui contrafecerit in premissis vel in aliquo premissorum, pena⟨m centum soldorum incurrat, dandorum et solvendorum camere prefati domini episcopi et nichilominus quod evicerit perdat et camere premisse aplicetur. Nolimus autem illos hac constitutione teneri qui secrete et pro solatio in domo privata luderent ad tabulas seu ad alium ludum fortune, ludo taxillorum de per se excepto quem omnibus modis et in omni loco et tempore reprobamus.

(13) Quod defferant tonsuram rubrica.

Ad honestatem etiam clericorum spectat delatio[pppp] congruentis corone tonsure atque rasure quas sanctorum patrum vestigiis inherentis precipimus deferri congruentes, quam congruentiam ad tolendam fraudem quorundam malignantium interpretamur. Si rasura que fieri debet in summitate capitis in modum spere, quam clericam vulgariter appellamus, sit ampla seu lata ab una parte circunferentie ad aliam in sacerdotibus et aliis inferioribus ad arbitrium domini episcopi. Coronam vero intellegimus congruentem si rotunda fuerit carens angulo: tonsura ita fieri debet ut aures patentes remaneant. Quicunque in premissis vel aliquo premissorum defecerit, sive sit sacerdos sive inferior clericus, sit eo ipso a perceptione

[mmmm] *Nel ms* aud *con* t *corretto sopra* d
[nnnn] *Nel ms* presumant *con* n *espunta*
[oooo] *Nel ms* aud *con* t *corretto sopra* d
[pppp] *Nel ms* delactio *con* c *espunto*

omnium fructuum beneficiorum suorum spacio sex mensium suspensus, in qua suspensione tamdiu maneat quamdiu steterit ad conformandum se congruentie premisse, et fructus ipsi applicentur camere predicte.

(14) De privilegio fori et persone rubrica.

Item statuimus, disponimus et ordinamus quod unusquisque clericus (83v) beneficiatus iurisditioni prefati domini episcopi deditus[qqqq] qui voluerit uti privilegiis tam in persona quam in rebus clericalibus rasuram, coronam, habitum et tonsura defferat congruentes. Alioquim si sine hiis inventus fuerit imiscere se damnatis sceleribus, beneficia ecclesiastica perdat; in sacris vero constitutus sive beneficiatus fuerit sive non, acrius puniatur pro qualitate negotii prout prelibato domino episcopo vel eius vicario visum fuerit, nec per hanc constitutionem intendimus cuiquam alii constitutioni derogare.

(15) Quas mulieres tenere possint in domo rubrica.

Item quia frequenter sub velamine honestatis latet quandoque inhonestas quoad mulieres quas aliquando in domibus eorum tenet, declaramus omnes illas mulieres esse suspectas que non sunt de permissis a iure, cuiusmodi sunt mater, avia, amita, matertera, filia fratris, soror, filia sororis: hec permittuntur dummodo non obsit eis contraria fama; ceteras prohibemus teneri in domibus clericorum sub pena contenta in premisso edicto, nisi sit tanta antiquitas et bona fama earum quod nichil sevi criminis possit in eis presummi. Hoc addito quod liceat clerico ex causa neccesitatis, ut puta infirmitatis vel alia legitima causa approbata per officium domini episcopi, liceat tenere unam mulierem maiorem annis sexaginta dumodo non sit ex aliquibus cum quibus sacerdos aut clericus ille se imiscuisset retrohactis temporibus. Item nullus ex predictis teneat aliquem laboratorem vel artificem qui habeat uxorem secum habitantem suspectam propter cohabitationem in domo ipsius clerici. In quibus omnibus suppleat et interpretetur discreptio domini episcopi vel eius vicarii, consideratis circumstanciis undique.

(16) De maledicis et turbatoribus divinorum officiorum rubrica.

Quia[rrrr] pudicicia actenditur non solum circa castitate⟨m corporis verum etiam in verbis et moribus, decreverunt sancti patres neminem clericum esse maledicum aud fratrum accusatorem, non scurilem aud verbis turpibus ioculatorem, non invidentem fratrum profectibus, non sedicionarium aud divinorum officiorum vel consiliorum turbatorem.

[qqqq] *Nel ms* dedictus *con* c *erasa*
[rrrr] *Segue* non *espunto*

Mandamus hos sacra comunione privari et de Ecclesia a consorcio fidelium prohici, que omnia hic duximus exprimenda ad recenciorem omnium subdictorum nostrorum me(84r)moriam. Mandantes omnibus et singulis ab huiusmodi improbatis viciis abstinere, sub penis in premissis sanctorum patrum decretis contentis[29], et ultra prout negotii qualitas exegerit, sub pena arbirio domini episcopi vel eius vicarii auferenda. Turbatores autem divinorum officiorum solemnium potissime et ad que populi multitudo confluere consuevit, delati per archipresbiterum seu quemcunque de ecclesia acrius punia⟨n tur, ita ut eorum temeritas et irreverentia aliis transceat in exemplum.

(17) De cura circa spiritualia rubrica.

Regimen seu gubernatio ecclesiarum vertitur circa duo, videlicet circa id quod spectat ad spiritualia, et circa id quod spectat ad temporalia. Circa spiritualia venit primo considerandum quod ecclesie teneantur munde et omnibus rebus vacue et expedite preter ea que pertinent ad divinum cultum, quod ab omnibus negotiis secularibus vacent et per eas non sit via publica per quam portentur animalia et cetera que via communi deferuntur, et nichil penitus agatur quam quod divinis laudibus conveniat, quod temporibus congruis apperiantur et colaudantur, quod locus baptisterii mundus teneatur, quod heucaristia et crisma sub fideli custodia conservetur in loco mundissimo clavibus obserato. Hec omnia sanctorum patrum vestigiis inherentes stricte iubemus fieri, statuentes ut quicunque in premissis vel aliquo premissorum negligens inventus fuerit, arbitrio prefati domini episcopi vel eius vicarii puniatur ultra penam impositam a iure prout negotii qualitas exegerit. Adicientes quod earum clerici, prout uniuscuiusque ecclesie facultates suppetunt, in ipsis ecclesiis divinis laudibus intendant sue servitutis impensum per singulas horas canonicas persolventes. Adiungatur quod presbiteri curati mandent suis parochianis quod in sacratis locis nec in ecclesiis suis non faciant viciniam neque alias conventiculas neque are⟨n gam pro eorum peractionibus temporalibus.

(18) De examinatione instituendorum rubrica.

Ad regimen ecclesie circa dispositionem spiritualium spectat cura animarum in qua est singularis circumspectio et vigilia adhibenda, quoniam ubi ma(84v)ius periculum vertitur, est procul dubio plenius consulendum. In hac venit distributio spiritualium sacramentorum in quibus consistit salus cuntorum christifidelium, circa quorum instructionem propter temporis brevitatem modo non insistimus, hoc tamen modo statuentes quod quicunque sacerdos curatus cum super hoc per nos examinatus fuerit saltem de quatuor sacramentis que pertinent ad administractionem cuiuslibet sacerdotis curati, videlicet baptismo, penitencia, heucaristia et sacra untione, sciat nobis respondere que sint decem mandata decalogi, septem

dona Spiritus sancti, septem opera misericordie, in hiis contraria septem peccata mortalia. Quod quidem volumus observari non solum in institutis a nobis set in hiis etiam quorum ad capitulum nostrum ellectio, ad episcupum vero confirmatio pertinet. Quicunque in premissis ignarus inventus fuerit, post gravem redargutionem indignus cure animarum reputabitur.

(19) De compatrum numero rubrica.

Item statuerunt sancti patres nostri[30] quod ad suscipiendum infantem de baptismo non plures accedant quam unus sive vir sive mulier; in confirmatione quoque idem fiat et ille non sit abbas neque monacus. Nos igitur in executionem predictorum iurium statuimus et ordinamus ne quis sacerdos de cetero presumat ad baptismum admittere ultra unum compatrem aut unam commatrem, nisi ab episcopo seu eius vicario petita et obtenta licentia, qui tamen non sit abbas vel monacus aut etiam monialis; nec imponat cuique infantulo baptizando nomen aliquod paganorum aut gentilium, idem de infantula, set nominibus sanctorum aut sanctarum nominent iuxta rictum christianorum. Qui contra premissa vel aliquod premissorum facere inventus fuerit, eo ipso penam centum soldorum incurrat solvendorum cemere pauperum Christi, accusatori solvat soldos viginti. Non intendentes per hanc nostram constitutionem alicui alteri derogare.

(20) De inventario conficiendo rubrica.

De regimine ecclesiarum in spiritualibus hec dicta sufficiant. Quia vero hoc tempore tales in regiminis arce debent constitui qui non solum de salute (85r) animarum verum etiam de extrinsecha utilitate cautela sciant esse solicitos, idcirco circa gubernationem temporalium stilum vertendo presenti constitutione sancimus volentes indemnitatibus ecclesiarum providere quod omnes, qui de cetero ad rectorias seu dignitates ecclesiasticas assumentur, postquam possessionem pacificam fuerint consequti, infra mensem in presentia capitulorum suorum et bonorum parochianorum ipsius ecclesie et thabellionis publici de thesauro et bonis mobilibus ecclesiarum ipsarum inventarium in scriptis fideliter faciant cum effectu, apud ecclesias predictas conservandum. Qui vero contra hec se exibuerint negligentes seu dificiles et rebeles ex nunc in libris decem episcopali camere condemnamus in pios usus per prefatum dominum episcopum vel eius vicarium ut expedire videbitur convertendis. Insuper in discretis et damnosis bonorum et rerum ecclesiasticarum alienationibus volentes salubriter obviare presenti constitutione decernimus et providemus quod nulla persona ecclesiastica, nullum capitulum, collegium vel conventum aliqua bona immobilia seu iura perpetua alicuius ecclesie secularis vel regularis seu alterius pii loci alienent, quocunque titulo alienationis, vel concedant in hemphitheosim ultra annos quinque vel de ipsis investituram faciant seu locationem sub certa pensione seu censsu vel ad affictum sive uni sive pluribus personis sub

quocumque modo vel forma verborum per quam dici possit ipsam locationem aut investitura directe vel indirecte excedere tempus dictum, et quod ultra viginti quinque libras nomine ecclesie seu pii loci vel prebende seu beneficii mutuum non contrahat vel ecclesiam suam aut prebendam seu pium locum vel aliqua eius bona alicui obliget nomine alicuius debiti ultra quantitatem predictam absque nostra licencia speciali, aut vestes sacras seu vasa vel libros eiusdem vel aliquid de thesauro ipsius alienet vel pignori obliget, nostra super hoc lice⟨n tia non obtenta. Alienantes vero vel pignorantes aut, quod deterius est, furto surripientes ac contrahentes et dantes et recipientes vel facientes contra hec vel aliquod premissorum in hiis scriptis ex nunc excommunicationis vinculo innodamus; contractus, qui contra hec celebrabuntur, carere viribus decernentes et ecclesias ex ipsis minime obligari.

(21) De denuntiatione rubrica.

Item quia sic iure cautum invenimus, volumus et ordinamus quod unus(85v)quisque archipresbiter seu plebanus diocesis paduane non solum vulgi intra suam plebem degentis curam gerat, verum etiam presbiterorum, qui per minores titulos habitant, iugi circumspectione vitam custodiat, et qua unusquisque industria divinum opus exerceat cuiusque vite et conversationis existat, ac etiam quicquid periculi spiritualis tam ex parte vulgi quam ex parte presbiterorum occurrerit, quod divine maiestatis oculos offendere possit, prelibato domino episcopo aut eius vicario denuntiet. Qui si in premissis vel aliquo premissorum transgressor inventus fuerit pro negotii qualitate egregie puniatur, sic quod eius pena aliis transgressoribus transceat in exemplum.

(22) Quod teneantur prelato suo semel in anno confiteri rubrica.

Item volumus et ordinamus quod unusquisque clericus saltem semel in anno teneatur integre confiteri peccata sua suo prelato vel alteri de ipsius expressa licencia et sacramentum heucaristie de manu ipsius saltem semel in anno, ut premittitur, suscipiat vel alterius de eius mandato. Quicunque in premissis vel aliquo premissorum transgressor inventus fuerit, sit eo ipso per sex menses suspensus a perceptione fructuum beneficiorum suorum convertendorum in utilitatem ecclesiarum in quibus illa obtinet arbitrio dicti domini episcopi vel eius vicarii, et premisa sibi locum vendicent in prelato sub cuius cura dictus clericus domicilium habet.

(A) *(Ripresa e aggiunte alla costituzione 21 "De denuntiatione")*[31]

Volumus, statuimus et ordinamus quod singuli plebani diocesis nostre qui ad hoc constituti sunt ut non solum imperiti vulgi solicitudinem gerant, verum etiam conpresbiterorum qui per minores titulos habitant vitam iugi circumspectione custodiant, qua unusquisque industria divinum opus exerceat episcopo suo renuntient, suas plebes discurant, unusquisque suam diligenter investigans et perquirens si quid novit aut cognoscere potest vel

audire quod contra voluntatem Dei et recta christianitatem in sua plebe factum sit tam per seculares quam per sacerdotes, cum tale quid ad suam nocticiam quovis modo pervenerit aut indicatum sit, illud nobis quam cito poterit renuntiet; et hoc facere iuramento affirmet (86r) scilicet quod nec propter amorem nec propter timorem nec propter precium nec propter parentelam vel hactenus nobis celabit aut nostro nuntio cui hoc inquirere iusserimus quandocumque ex hoc eum[ssss] interogaverit, sic ipsum deus adiuvet.

(B) *(Sul controllo da parte del clero curato dei doveri sacramentali dei parrocchiani)*

Quia scriptura dicit: "Diligenter agnosce vultum peccoris tui tuosque greges considera"[32] et cetera, que verba diriguntur in personam pastoris ecclesie cui imperatur ut diligenter adhibeat curam eis quibus ipsum preesse contigerit agnoscatque animos et actus singulorum, si quid vicii in eis invenerit citius castiget; idcirco hac episcopali sinodo communi omnium concilio statuimus et ordinamus ut unusquisque parochianus cuiuscunque ecclesie nostre civitatis aut diocesis, quem contigerit de licentia sui rectoris aut alias ex forma iuris alteri confiteri quam proprio sacerdoti, teneatur illud intimare proprio sacerdoti nominando ei personam cui confessus fuerit et an de ipsius confessoris conscilio liceat ei recipere heucharistie sacramentum; quod sacramentum teneatur saltem semel in anno videlicet in Pasca resuretionis vel circa festum ipsum recipere de manu proprii sacerdotis, nulla in contrarium obstante licencia.[33]

[ssss] eum *in sopralinea*

COSTITUZIONI DI PIETRO DONATO

1446 giugno 8, Padova
1447, Padova

Biblioteca apostolica vaticana, Vaticano latino 4882, f 87r-89r.
Già edito in F.S.Dondi Dall'Orologio, *Dissertazione nona sopra l'istoria ecclesiastica padovana*, Padova 1817, documento XXIII, p 60-66.

(1446)

(87r) Anno domini nostri Iesu Christi millesimo quadringentesimo quadragesimo sexto, indicione nona, feria quarta post Penthecostes, presidente reverendissimo patre in Christo et colendissimo domino domino Petro Donato permissione divina sancte sedis paduane pontifice meritissimo. Sequuntur nonnulle synodales constitutiones nove et veterum additiones et reformationes pernecessarie in sancta synodo paduana, presentibus patribus et clericis infrascriptis, die qua supra publicate.

(1) Additio ad rubricam de sacramentis et cathedraticho[tttt].[34]

Quia nonnulli archipresbiterorum et rectorum parochialium ecclesiarum tam civitatis quam diocesis nostre paduane ad tantam devenerunt ignorantiam et nimium profecto crassam et nullo modo diutius tollerandam, quod per singulos annos in quinta feria cene Domini quando novum crisma conficitur mittunt personas mere laicas ad accipiendum sacratissima sacramenta, crismatis videlicet et olei cathecumenorum et pro infirmis, propter quod, ut certificati sumus, et multa scandala evenerunt et maleficia plurima subsecuta sunt, et nonnulli sint sacerdotes qui maiori insipientia ducti per multos menses et dies et aliqui quasi per totum anni circulum carentes sacramentis novis veteribus abutuntur tam in baptismate quam in extrema unctione, non animadvertentes quod tales improbi sacerdotes digni sunt depositione secundum canonicas sanctiones; volentes igitur quantum Deo auctore debemus et huic et priori defectibus salubriter providere, hac synodali constitutione sancimus quod nullus archipresbiterorum vel aliorum curatorum nostre iurisdictioni subiectus audeat vel presummat de cetero mittere quoquomodo per manus laycorum ad accipiendum ecclesiastica sacramenta predicta, quia que sancta sunt per prophanas manus contractari non debent, sed debeant ipsimet, si circa celebrationem divinorum vel audientiam confessionum illis diebus fuerint prepediti, per honestos sacerdotes vel alios clericos ire vel mittere reverenter ad episcopalem sedem pro receptione sacramentorum predictorum, in et sub pena nostro

[tttt] et cathedraticho *di altra mano*

arbitrio imponenda pro quacunque vice cuilibet contrafacienti. Utentes autem crismate et aliis sacramentis veteribus volumus et declaramus per presentes penam iuris incurrere et pena iuris omnino castigari debere.

Ceterum[uuuu] ad tollendum damnabilem et malum abusum nonnullorum archipresbiterorum et aliorum curatorum qui tam ex iuris debito quam ex longeva servata consuetudine obligati sunt annale prestare cathedraticum sedi episcopali paduane, differencium illud exsolvere usque in diem quo percipiuntur ecclesiastica sacramenta quasi tunc (87v) temporis illud, ut verbo improbo aliquorum eorum utatur, persolvatur pro sacramentis, cum talia tamen et gratis et reverenter quisque accipere et dare teneatur, ordinamus et hac synodali monitione monemus quemlibet archipresbiterum vel ecclesie rectorem a quibus prestari debet cathedratichum prelibatum ut illud per singulos annos infra octavas festi beate Iustine virginis integraliter exsolvere teneantur sub pena dupli contrafacienti irremissibiliter auferenda.

(2) Additio ad rubricam de habitu clericorum[35].

Intantum crevit impudentia nonnullorum clericorum nostrorum qui, ut dolentes de aliquibus referamus, non tanquam sacerdotes Dei et ministri eius incedant in habitu condecenti sed aliis vestimentis a lateribus scissis et manicis apertis atque faldatis caligisque solatis sive consuticiis indifferenter utentes; alii ita impudice comam nutrientes plusquam deceat taliter se exornant ita ut quasi laici reputentur; alii ita brevia et inconvenientia, dum in publicum exeunt, deferunt indumenta quod non sacerdotes sed mercatores vel potius viatores hominibus videantur, ex quo plurimum vituperatur ministerium sacerdotale et oculi hominum huius seculi non minus scandalizantur. Nos igitur volentes hanc effrenatam impudentiam talium clericorum compescere et ipsos, quos divinus terror a peccato non revocat, metu temporalis pene in viam honestatis reducere, hac nostra synodali ordinatione monemus et singulos sacerdotes et clericos quoscunque beneficiatos vel in sacris ordinibus constitutos iurisdictionis nostre quod ob Dei reverentiam et ordinis clericalis onorem velint et debeant secundum canonicas sanctiones et constitutiones synodales desuper disponentes sese conformare debito habitui clericali et infra unius mensis spatium a die presentis monitionis huiusmodi omnem superfluitatem[vvvv] indumentorum et[wwww] inconvenientiam habitus a se abdicare cum effectu; alioquin nec ipsos pro clericis habebimus, qui clericalem habitum gestare dedignantur, nec pro veris clericis defendemus procedendo nihilominus contra tales qui post lapsum dicti mensis non se reformaverint in premissis secundum quod in synodalibus sanctionibus super hoc alias edictis latius continetur vel secundum qualitatem excessus eorundem clericorum incorrigibilium qui se emendare noluerint in premissis.

[uuuu] *Al margine destro con segno di richiamo* de solutione cathedratici *di mano posteriore*
[vvvv] *Segue* vestimentorum *cassato*
[wwww] et *aggiunto nel sopralineo*

(88r) (3) Additio ad rubricam de inventario conficiendo de bonis ecclesie[36].

Rerum experientia nos docuit et ex multiplici querela didicimus non adhuc fuisse sufficienter provisum indemnitati bonorum ecclesiasticorum, etsi super hoc ultra iuris dispositionem quamplures emanaverint hactenus constitutiones per elapsum. Audivimus nanque nonnullas esse ecclesias parochiales tam civitatis quam diocesis nostre paduane que ex mala parochianorum consuetudine nec massarios sive bonorum conservatores habuerunt per elapsum nec habent de presenti qui curam habeant de conservatione bonorum ecclesiarum, ne sinistro modo dillapidentur vel alienentur inconsulte vel nimium premature. Intelleximus etiam quod ex infidelitate nonnullorum beneficiatorum in ecclesiis prelibatis occurri tpersepe quod nedum bona immobilia ecclesiarum ipsarum inconsulte alienantur in dies sed etiam mobilia preciosa divino cultui deputata furtim surripiuntur in intollerabile damnum et iacturam ecclesiarum predictarum. Certificati preterea sumus nonnullas esse de ecclesiis prelibatis que occurentibus gravaminibus temporalibus propter guerras in gravissima debita datiarum remanserunt, quia beneficiati in ipsis suis temporibus datias occurentes solvere postponunt, quibus postea ex insperato recedentibus onus intollerabile colectarum remanent ecclesiis prelibatis. Volentes igitur indemnitati ecclesiarum et earundem coservationi bonorum quantum cum Deo possumus salubriter providere, addicientes synodalibus constitutionibus super hoc alias edictis, hac saluberrima synodali ordinatione mandamus in primis quod omnes et singule ecclesie parochiales tam civitatis quam diocesis paduane habeant de cetero unum vel plures ydoneos fidedignos et securos massarios per singulos annos vel singula biennia ad longius in parochia seu vicinia sua de nostra vel vicarii nostri speciali comissione et in presentia presbiteri parochialis fideliter elligendos, alias ex postea per nos vel officium nostrum iureiurando confirmandos; qui quidem massarii diligenter et cum iuramento conficere habeant integrum et autenticum inventarium de omnibus et quibuscunque bonis tam mobilibus quam immobilibus ecclesiarum suarum, cuius inventarii copia una sit et esse debeat apud ecclesiam vel rectorem eius[xxxx], alia apud massarios ipsos, tercia vero curie episcopali vel sapientibus cleri presentetur; qui etiam masarii curam habeant diligenter quod nullo pacto vel ex quacunque de causa bona mobilia divino cultui deputata vel etiam immobilia pignorentur vel alias quomodocumque dillapidentur; quique providere habeant quod rectores (88v) ecclesiarum suarum, si terrigene non fuerint vel alias laudabiles et approbate persone, cautissime fide iubere debeant eorum institutioneis tempore, maxime de bonis mobilibus ecclesiarum in manibus suis tanquam rectoribus consignatis vel consignandis. Preterea ne ecclesie ipse per debita datiarum ut supra dictum est in debitis ad sempiternum obligate remaneant, ordinamus et tenore presentium mandantes statuimus quod singuli masarii et bonorum ecclesiasticorum conservatores predicti per suas parochias et ecclesias ita invigilare debeant et solicite

[xxxx] eius *aggiunto nel sopralineo*

previdere quod rectores ipsarum[yyyy] ecclesiarum suis temporibus datias occurrentes suas integraliter persolvant, etiam si pro ipsarum datiarum quantitatibus spetialem portionem vel administrationem, de scitu tamen rectoris ecclesie et parochie, in redditibus ecclesiarum earundem pro huiusmodi causa consignatam habere deberent, ut per diligentiam et observantiam huius saluberrime sanctionis et bona iam ecclesiis dedicata et in futurum applicanda, lege magistra, securius conserventur et ipsarum ecclesiarum indemnitati salubrius provideatur, constitutionibus aliis de premissis loquentibus in suo robore permansuris.

(1447)

Constitutiones nove anno Domini M° CCCC° XLVII.

(1) Ad constitutionem de utentibus falsis probationibus additio supra a carta 6[zzzz].[37]

Quia sunt nonnulli tam procuratores quam causidici et alias causarum solicitatores plus comodum clientullorum suorum, quod tamen damnabile est, incomodum procurantes quam iustitie debitum, in tantum quod etiam hi tales omni Dei postposito timore et honestatis non erubescunt scienter et uti et docere usum falsorum instrumenorum, positionum et probationum, que res et animas talium interimit et facultates deceptorum in causis surripit iniuste atque devorat; volentes itaque quantum possibile sit huiusmodi falatiis occurere, additientes ad constitutionem de utentibus falsis probationibus et cetera hac sinodali sanctione statuimus, quod si quis procurator causarumque solicitator vel quisvis alius causidicus de cetero deprehensus fuerit scienter usus fuisse vel uti docuisse vel fecisse falsis instrumentis vel probationibus vel aliis quibuscumque positionibus in causis emergentibus et in curia nostra episcopali ventillatis, et maxime in causis beneficialibus et matrimonialibus, ultra penam excomunicationis quam ex vi prime constitutionis incurrit ipso facto et ultra penam periurii et infamie a iure impositam, talis falsarius per facti evidentiam vel alias in his de falso convictus vel confessus, penam ducentarum librarum incurrat ipso facto, cuius tertia pars sit damnum passi, (89r) tercia sit phisci episcopalis et tercia denuntiatoris si apparuerit; decernentes quod, si aliquis ex falsariis istis alios denunciaverit in premissis, nullam quoad causam in qua falso usus fuerit et denunciaverit penam incurrat e nihilominus tercium talis pene lucretur. Addicientes et mandantes quoad terrorem talium falsariorum hec nostra constitutio singulo anno in prima publica audientia curie episcopalis paduane, prima die iuridica post sinodum et prima die iuridica sancte quadragesime, semper et in perpetuum legi debeat et publicari.

[yyyy] ipsarum *aggiunto al margine sinistro*
[zzzz] supra a carta 6 *di mano posteriore*

(2) Pro reddenda ratione et conservatione bonorum hospitalium et fabricarum ecclesiarum omnium.

Quia in plerisque ecclesiis et hospitalibus tam civitatis quam diocesis nostre deputati et ordinati sunt certi et speciales annui redditus pro fabricis reparationibus et usibus ecclesiarum predictarum ac pauperum substentationibus, soliti gubernari et administrari vel per massarios ecclesiarum predictarum vel hospitalarios sive priores vel per alios deputatos per loca, tam clericos quam laicos, qui cum tenerentur fideliter et pie administrare et distribuere ad usum fabricarum predictarum et pauperum et de distributis iustum computum tenere et rationem ostendere, nichilominus quia nonnulli ex his talibus plus proprium comodum et utilitatem querunt quam que Dei sunt, quamque curent de fabricis ecclesiarum predictarum e pauperum substentatione, volentes et quantum cum deo possumus intendentes ad reparationem, conservationem et augmentum ecclesiarum omnium ac Christi pauperum vegetationem et potissime habentibus fabricas huiusmodi et hospitalium hospitalitatem tenentium vel tenere debentium, hac nostra saluberrima constitutione statuimus et ordinamus quod singulo anno in sancta synodo archipresbiteri, presbiteri et rectores ecclesiarum tam civitatis quam diocesis nostre teneantur in scriptis tradere nomina massariorum et gubernatorum fabricarum predictarum ac nomina priorum sive gubernatorum hospitalium parochiarum sive villarum et locorum suorum, eosque ex forma huius constitutionis monere, quos nos etiam per presentes monemus, quatenus ex assumptione talium suorum officiorum teneantur venire una cum archipresbiteris vel rectoribus ecclesiarum predictarum sive massariis earundem et hospitalium conservatoribus cum inventariis introituum talium fabricarum et hospitalium, et corporale subire iuramentum per manus nostras vel vicarii nostri seu alterius per nos ad hec deputandi, quod bona fide et conscienciose, recte, integre et fideliter gubernabunt et administrabunt redditus fabricarum et hospitalium predictorum, eosdem redditus ad ordinatum usum distribuendo, sub pena decem librarum applicandarum ecclesiis et hospitalibus illis quarum et quorum tales massarii et gubernatores sive priores et hospitalarii sic electi per singulos annos non venerint ad iurandum et sub pena dupli omnium exactorum, si per singulos annos non reddiderint fidele computum (89v) de administratis huiusmodi nobis vel officialibus nostris vel aliis ydoneis personis saltem de nostra licentia super hoc deputatis vel deputandis, vel si deprehensi fuerint in proprios usus dedisse tales redditus vel alias indebite defraudasse, occultasse vel inconsulte alienasse predictos.

(3) Constitutio de perceptione et divisione fructuum beneficiorum et de modo solutionis datiarum et aliorum onerum pro beneficiis occurrentium.

Quoniam frequenter in nostra curia lites oriri vidimus super fructibus, redditibus et proventibus beneficiorum civitatis et diocesis nostre paduane inter dimittentes beneficia et

eorum successores et consequenter circa collectas seu impositiones que ipsis beneficiis ratione huiusmodi fructuum imponuntur, quibusdam asserentibus annum quo ad percipiendos huiusmodi fructus incipiendum esse nativitate Domini, quibusdam ab incarnatione, aliis vero a festo sancti Petri de mense iunii et secundum hoc etiam onera beneficiorum dicunt regulari debere; nos igitur lites sedare cupientes et in premissis certam et indubitatam tradere legem, presenti constitutione decernimus, statuimus et ordinamus quod annus quoad premissa incipere debeat in festo beati Petri apostoli de mense iunii, cum tunc temporis novos fructus recolligere incipiamus, sicque incipiendo beneficiati percipere debeant fructus quorum usuarii et possessores sint, pro cursu temporis quo videlicet steterunt in beneficiis, et similiter pro eodem tempore omnia onera temporalia et spiritualia incumbentia predictis beneficiis persolvere habeant integraliter, quodque beneficiati predicti, si dimiserint beneficia predicta quandocunque infra annum, vel sui heredes legitimi si decesserint testati tantum, dimittere vel tradere debeant de fructibus ipsorum beneficiorum successoribus eorundem quantum pro rata temporis usque ad novos fructus dare debebunt, etiam pro collectis et aliis oneribus occurrentibus. Declarantes nihilominus quod propter hanc novam nostram costitutionem in aliquo non derogetur statuto ecclesie paduane iamdudum in eadem servato, quod quidem statutum locum habere volumus in beneficiatis dicte ecclesie paduane dumtaxat et non in aliis. Constitutionibus etiam de prestando fideiussores per beneficiatos sive beneficiandos tempore institutionis eorumdem in beneficiis alias in suo robore permansuris.

§IV3e 1450-1458, FANTINO DANDOLO

INDIZIONE DELLA SINODO DEL 1450

1450, 4 aprile. Il vescovo di Padova Fantino Dandolo intima a tutti i chierici della diocesi di trovarsi a Padova il 21 aprile per partecipare alla sinodo diocesana che si terrà a partire dalla mattina del 22 aprile presso il palazzo vescovile.

Relazione dell'affissione, avvenuta lo stesso giorno alle porte della chiesa cattedrale per opera del cursore della curia episcopale, dell'editto riguardante la sinodo.

Padova, Archivio curia vescovile, *Diversorum*, 26-27, f 24r.

Già edito in F.S.Dondi Dall'Orologio, *Dissertazione nona sopra l'istoria ecclesiastica padovana*, Padova 1817, documento XXX, p 75-76.

(24r) Edictum pro synodo ad XXII aprilis 1450.

Fantinus Dandulus Dei et apostolice sedis gratia ępiscopus paduanus universis et singulis venerabilibus .. abbatibus .. prioribus .. prepositis .. decanis .. archypresbiteris .. archydiaconis .. mansionariis .. custodibus, plebanis .. viceplebanis et .. capellanis aliisque ecclesiarum rectoribus ac presbiteris et clericis quibuscunque iurisdictioni nostre subiectis salutem in Domino sempiternam. Quoniam, dormiente patrefamilias, inimicus homo bono tritico superseminat zizania in agro dominico[38], unde fit quod ecclesiastice res collabuntur, mores clericorum deformantur et inter Christi fideles scandala multa oriuntur, eapropter sancti patres provide statuerunt ut unusquisque episcopus singulis annis in suo territorio concilum faciat synodale[39], in quo de corrigendis excessibus et reformandis moribus presertim in clero diligens habeatur cum Dei timore tractatus, canonice constitutiones relegantur et ut serventur agatur, penam debitam transgressoribus infligendo. Nos ergo eorundem sanctorum patrum quantum cum Deo possumus vestigiis inherendo huiusmodi synodale concilium celebrare disponimus anno presenti post secundam diem dominicam a die resurrectionis domini nostri Iesu Christi feria quarta, que erit dies XXIIª instantis mensis aprilis. Idcirco vos omnes et singulos suprascriptos tenore presentium monemus, requirimus et citamus vobisque et vestrum singulis in virtute obedientie et sub pena plebanis ac ceteris superioribus clericis et prelatis librarum XXV parvorum, capellanis vero et ceteris inferioribus clericis decem librarum irrimisibiliter auferenda, districte percipiendo mandamus quatinus feria tertia proxima a secunda dominica post dictum festum resurrectionis Domini nostri Iesu Christi proxime futurum, que erit dies martis vicesima prima presentis mensis aprilis, quem

terminum unum pro tribus et peremptorio ac monitione canonica vobis et vestrum cuilibet duximus assignandum, Paduam personaliter venire debeatis et deinde predicta feria quarta seu die mercurii in mane vos coram nobis in episcopali palatio nostro paduano presentare audituri et prosecuturi dictum synodale concilium usque ad eius finem[aaaaa] indeque non discessuri donec, eodem concilio completo, a nobis congruam obtinueritis licentiam. Alioquin si, quod absit, premissis monitionibus et mandatis nostris parere contempseritis seu aliquis vestrum contempserit, predictam penam ut premittitur a quolibet vestrum horum nostrorum mandatorum contemptore infallanter auferemus; nihilominus ad alia graviora iuris remedia propter inobedientiam huiusmodi processuri prout ius et iustitia suadebunt. In quorum testimonium has patentes edicti litteras fieri mandavimus sigillique nostri pontificalis imprensione muniri et in foribus maioris ecclesie nostre paduane affigi et patenter affixas dimitti per quencunque nuntius iuratum episcopalis curie nostre paduane, cuius relationi de harum affixione inibi facta absque alia probatione dabimus plenam fidem. Datum Padue in nostro episcopali palatio, anno nativitatis dominice MCCCC°L^{mo}, indictione XIII^{a}, die sabbati quarto aprilis.

Relatio affixionis per Marcum quondam Francisci, preconem et nuncium iuratum episcopalis curie paduane, die sabbati sancto quarto aprilis 1450 in foribus maioris ecclesie paduane, presentibus dominis Christophoro a Ratione diacono paduano et Iohanne lanario filio Christofori vincentini fornaserii habitatoribus Padue in contracta domi testibus rogatis et aliis.

[aaaaa] *nel testo* fidem *con* n *soprascritta a* d.

GESTA IN SYNODO DEL 1450

1450, 22 aprile. Relazione (parziale?) della sinodo tenuta a Padova presso il palazzo vescovile dal vescovo Fantino Dandolo mercoledì 22 aprile.

Padova, Archivio curia vescovile, *Diversorum*, 26-27, f 25r-v.

Già edito in F.S.Dondi Dall'Orologio, *Dissertazione nona sopra l'istoria ecclesiastica padovana*, Padova 1817, documento XXX, p 76-77.

(24r) Die mercurii suprascripta, Padue super salla magna superiori palatii episcopalis, presentibus Dominico quondam Iohannis a Ratione officiali episcopatus et Marco quondam Francisci precone eiusdem testibus ad hoc et aliis in plena synodo cleri paduani.

Gesta in synodo[bbbbb].

Reverendissimus in Christo pater et dominus Fantinus Dandulus, Dei et apostolice sedis gratia ępiscopus paduanus, convocata et congregata plena et generali synodo cleri paduani, in qua interfuerunt infrascripti venerabiles patres et domini, ut in foliis repositis in filcia eius apparet, cum plures haberi non potuissent (25v) qui commode possent evocari. Audita negligentia multorum ex ipso clero non curantium conficere nec presentare inventaria de bonis ecclesiarum sibi commissarum, secundum edicta pluries repetita per venerabiles dominos .. sapientes deputatos ad reformationem ęstimi ipsius cleri, personaliter monuit omnes et singulos astantes et presentes in ipsa synodo audientesque et intelligentes quatenus pro bono et necessitate dicti cleri debeant per totum mensem maii proxime futurum confecisse dicta inventaria et ea presentasse prefatis dominis .. sapientibus ut dicti estimi perficiantur. Alioquin ex nunc declaravit ec declarat ipsos et unumquemque eorum incurrisse penas descriptas et contentas in edictis alias propositis per ipsos dominos .. sapientes et cetera.

Eadem die in ipsa synodo, electio infrascriptorum[ccccc].

[bbbbb] Gesta in synodo *al margine sinistro della stessa mano.*
[ccccc] *Segue il resto del foglio bianco.*

*CONFIRMATIO IN SYNODO GENERALI SENTENTIE AR*1*ITRALIS* DEL 1451

1451, 12 maggio. Approvazione, da parte del clero convocato in sinodo, della sentenza arbitrale emessa dal presbitero Pietro Boldù da Venezia in relazione alla lite tra Giovanni Francesco Panini, sindaco del clero padovano, e Alvise di San Giorgio, già collettore e massaro del clero cittadino.

Padova, Archivio curia vescovile, *Diversorum*, 26-27, f 66r.

(66r) Confirmatio in synodo generali sententie arbitralis late per reverendum patrem dominum Petrum Boldu de Venetiis, priorem Sancte Marie a Carceribus camaldulensis ordinis, inter venerabilem iuris utriusque doctorem dominum Iohannem Franciscum Pavini sindicum venerabilis cleri paduani ex una, et dominum presbiterum Aloisium de Sancto Georgio[40] olim prefati cleri collectorem et massarium ex altera partibus.

Die mercurii XII mensis maii suprascripti, actum Padue in episcopali palatio in sala magna superiori, presentibus ser Antonio de Vigizolo notario et Dominico quondam Iohannis a Ratione officiali episcopalis curie et aliis multis testibus ad hec rogatis. Ibique venerabiles patres convocati[ddddd] et congregati ex toto clero paduano ad synodum generalem, aperto et declarato sibi tenore suprascripte sententie, unanimiter nemine eorum discrepante, omnibus meliori modo, via, iure, causa et forma quibus melius, vallidius et efficacius fieri potest, laudaverunt et approbaverunt suprascriptam sententiam latam per suprascriptum dominum priorem a Carceribus in omnibus et per omnia prout in ea continebatur.

[ddddd] convocati *in sopralinea con sotto* qui congregati erant *depennato*.

INDIZIONE DELLA SINODO DEL 1452

1452, 11 aprile. Il vescovo di Padova Fantino Dandolo intima a tutti i chierici della diocesi di trovarsi a Padova il 26 aprile per partecipare alla sinodo diocesana. L'editto viene appeso alle porte della cattedrale.

Padova, Archivio curia vescovile, *Diversorum*, 26-27, f 88v.

(88v) Die martis XI aprilis.

Citatio sive admonitio venerabilium dominorum abbatum .. priorum .. prepositorum .. decanorum .. archypresbiterorum .. archydiaconorum .. mansionariorum .. custodum .. plebanorum .. viceplebanorum .. et capellanorum aliorumque ecclesiarum rectorum et presbiterorum et clericorum quoruncunque iurisdictioni dicti domini episcopi paduani subiectorum, ad sinodale concilium die mercurii feria quarta que erit XXVI presentis, per edictum publicum affixum patenter in valvis maioris ecclesie paduane per Iohannem de Bergomo officialem et preconem episcopalis curie paduane, in presentia domini Benedicti de Pellatis et Mathei episcopalis curie paduane officialium testium ad hec rogatorum, sicut mihi notario in infrascripto rettulit de dicta affixione idem Iohannes officialis sub pena in dicto edicto contenta, de quo in filcia apparet et cetera, prefixo dictis monitis et citatis tertio peremptorio.

INDIZIONE DELLA SINODO DEL 1454

1454, 13 aprile. Il vescovo di Padova Fantino Dandolo intima a tutti i chierici della diocesi di partecipare alla sinodo diocesana che si terrà in Padova a partire dal 29 aprile, presso il palazzo vescovile.

Relazione dell'affissione dell'editto riguardante la sinodo.

Padova, Archivio curia vescovile, *Diversorum*, 28, f 27r.

(27r) Die sabbati XIII aprilis 1454.

Citatio et admonitio universorum et singulorum dominorum .. abbatium .. priorum .. prepositorum, decanorum .. archypresbiterorum .. archydiaconorum .. mansionariorum .. custodum .. plebanorum .. viceplebanorum .. capellanorum aliarumque ecclesiarum rectorum et presbiterorum ac clericorum quoruncunque iurisdictioni prefati domini episcopi subiectorum ut ad iter se ita preparent quod feria secunda post primam diem dominicam a die Resurrectionis domini nostri Iesu Christi que erit vigesima nona presentis, qui terminus eis pro tribus et peremptorio ac monitione canonica per dictum dominum episcopum reverendissimum assignatus fuit, in mane coram ipso domino episcopo in episcopali palatio paduano interesse possint et debeant, audituri et prosecu⟨tu ri synodale concilium dicta die XXVIIII aprilis incipiendo usque ad eius finem, apposita pena inobedientibus plebanis et superioribus clericis et prelatis librarum XXV, capellanis vero et ceteris inferioribus clericis librarum X irremissibiliter auferenda.

Relatio affixionis predicti edicti facta fuit mihi Blasio cancellario per Marcum Rubeum preconem et officialem episcopalis curie paduane affixisse predictum edictum in forma in valvis maioris ecclesie die supradicta, presentibus venerabili viro domino presbitero Alexandro mansionario et Iohanne de Bergomo officiali eiusdem curie et aliis.

ABROGAZIONE DI UNA COSTITUZIONE DEL CARDINALE LATINO MALABRANCA
1457 luglio 30, Padova

Il vescovo di Padova Fantino Dandolo, con autorità delegatagli da Niccolò V con lettera apostolica datata Roma 1454 30 marzo, abroga una costituzione del legato papale cardinale Latino Malabranca riguardante i vestiti delle donne della diocesi di Padova.

Biblioteca apostolica vaticana, Vaticano latino 4882, f 35r-35 bis v.

Già edito in : G.D.Mansi, *Sacrorum conciliorum et decretorum collectio nova …*, XXIV, Venezia 1782 [rist. anast., Graz 1961], col 254-258; F.S.Dondi dall'Orologio, Dissertazione nona sopra l'istoria ecclesiastica padovana, Padova 1817, documento XXXIII, p 80-83.

(35r) Revocatio statuti de habitu mulierum proxime supra[eeeee].

Fantinus Dandulo, Dei et apostolice sedis gratia episcopus paduanus, exequtor unicus apostolicus ad infrascripta per sanctissimum dominum nostrum in Christo patrem dominum Nicolaum divina providentia papam quintum specialiter deputatus. Universis et singulis Christi fidelibus cuuiuscunque condictionis, status, gradus, ordinis et religionis existant, quos infrascriptum tangit negotium seu tangere poterit quomodolibet in fucturum, salutem in Domino, et presentibus fidem indubiam adhibere. Litteras prelibati sanctissimi (35v) domini nostri domini pape eius vera bolla plombea ad cordulam canapis more romane curie in pendenti bullatas, sanas, integras et illessas, non viciatas, non canzellatas, non abrassas nec in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vicio et suspictione carentes, a sanctitate sua directas, noveritis nos ea qua decuit reverentia recepisse huiusmodi sub verborum tenore:

"Nicolaus episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Fantino episcopo paduano salutem et apostolicam benedictionem. Romani pontificis providentia circumspecta nonnumquam statuta et ordinata cassari, irritari et annullari mandat, aliaque facit prout rerum et temporum qualitatem penssata id conspicit in Domino salubriter expedire. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte tua petitio continebat quod dudum bone memorie Latinus episcopus ostiensis in partibus illis dicte sedis legatus de latere ex certis rationabilibus tunc expressis per eum causis motus auctoritate legationis sue, inter alia statuit et ordinavit ac discrete precepit ne in civitatibus et aliis locis sue legationis, de quibus inter alia civitas paduana tunc extitit, aliqua mulierum que duodecimum sue etatis annum transcenderet in veste, que ab anteriori parte aperta foret, per civitatem paduanam procedere vel vestimenta per humum defluentia ultra unum[fffff] aut ab humero clamidis dependentem plicaturam ultra duas palmas deferre presumeret, quodque mulieres nupte, que decimum octavum dicte etatis annum attingerent, ex quo per annum in coniugio fuissent, omnes in publico capitibus vellatis

[eeeee] *titolo di mano posteriore.*
[fffff] *nel testo così probabilmente per* unam.

incederent, nec eedem mulieres vestes ex diversis panis artificiose consutas in publico defferent tunc habere noscebantur easdem minime abicere coegit, sed ne illas post per eum prefixum terminum deferent, districtius inhibuit et contrafacientes sive statuta et ordinationes huiusmodi contempnentes omnium indulgentiarum que in ecclesiis vel predicationibus[ggggg] ipsius legati vel aliorum prelatorum auctoritatibus tunc actenus concesse fuerant, seu inposterum concederentur, necnon omnium sacramentorum ecclesiasticorum participatione privavit, etsi ad penitentiam venirent ab hoc ut aliis peccatis suis nullatenus absolverentur, nisi coram Deo et sacerdote confessore promitterent se statutum et ordinationem predictam de cetero observaturas, quodque si quis sacerdotum secularis vel religiosus eis que in premissis offenderent ante satisfactionem condignam aliquod sacramentum ecclesiasticum, nisi in mortis articulo constitutis, ministrare presumerent, ab officio et benefitio pariter per unum mensem foret suspenssus, et si quis in premissis vel circha ea notabiliter forte deliqueret, illum potestate[hhhhh] audiendi confessiones perpetuo decrevit esse privandum; et alia fecit et statuit prout hec omnia in statuto et ordinatione huiusmodi dicuntur plenius contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, statutum et ordinatio huiusmodi nunquam observatum fuerit, nec in mulieribus dicte civitatis paduane fructum fecerit, nec verisimiliter creditur fructus faciet in fucturum, ymo mulieres dicte civitatis vestes secundum consuetudinem patrie semper detulerunt, prout etiam deferunt de presenti, anime quoque tam sacerdotum (35 bis r) quam mulierum dicte civitatis potius ex illis laqueantur et damnentur. Quare pro parte dicte tue fraternitatis nobis fuit humiliter supplicatum quatenus statutum et ordinationem huiusmodi attentis premissis cassare, irritare et annullare et saluti animarum in hiis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui cunctorum christifidelium animas Altissimo salvas reddere intensis desideriis querimus et affectamus, de premissis certam notitiam non habentes, huiusmodi tuis supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus quatenus de premissis omnibus et singulis ac eorum circumnstantiis universis sumarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, auctoritate nostra te diligenter informes; et si per informationem huiusmodi reppereris premissa veritate subniti, et ex statuto et ordinatione huiusmodi fructus minime provenisse, neque in futurum provenire posse, auctoritate nostra penitus et omnino casses, irrites et annulles, sacerdotes quoque et mulieres dicte civitatis ad statuti et ordinationis huiusmodi observantiam minime astrictos de cetero fore, nec eadem statuta et ordinationem sacerdotes et mulieres prefatos quoquomodo ligare debere, prefata auctoritate nostra decernas et declares aliasque facias ac in premissis et circha ea dicta auctoritate statuas et ordines prout tibi secundum Deum et pro animarum tam sacerdotum quam mulierum dicte civitatis salute videbitur expedire. Date Rome apud Sanctum Petrum anno incarnationis dominice millesimo

[ggggg] *segue* vel predicationibus *espunto.*
[hhhhh] potestatem *nel testo.*

quadringentesimo quinquagesimo quarto, tertio kalendas aprilis, pontificatus nostri anno octavo."

Post quarum quidem literarum apostolicarum receptionem, nos Fantino Dandulo, episcopus et executor unicus apostolicus prefatus, volentes et intendentes tanquam obedientie filius mandatum apostolicum huiusmodi in hac parte nobis directum executioni debite demandare, de omnibus et singulis contentis in preinsertis literis apostolicis ac eorum circumstantiis universis iuxta formam psarum literarum apostolicarum diligenter informavimus et quia per informationem huiusmodi repperimus premissa veritate subniti et ex statuto et ordinatione huiusmodi fructus minime provenisse neque in fucturum provenire posse seu debere, statutum et ordinationem predictam et quecunque inde secuta dicta apostolica auctoritate nobis in hac parte commissa penitus et omnino cassavimus, irritavimus et annullavimus; sacerdotes quoque et mulieres civitatis et dyocesis paduane ad statuti et ordinationis huiusmodi observationem minime astrictos de cetero fore, nec statutum et ordinationem huiusmodi sacerdotes et mulieres prefatos quoquomodo ligare debere prefata apostolica auctoritate decrevimus et declaravimus, ac cassamus, irritamus, annullamus, decernimus et declaramus per presentes iuxta vim, formam, continentiam et tenorem literarum apostolicarum predictarum, reservata nobis facultate faciendi ac in premissis et circha ea dicta apostolica auctoritate statuendi et ordinandi prout nobis secundum Deum et pro animarum tam sacerdotum quam mulierum dicte civitatis et dyocesis paduane salute videbimus expedire, iuxta formam earundem literarum apostolicarum. Que omnia et singula suprascripta necnon dictas litteras apostolicas ac predictas cassationem, irritationem et annullationem suprascripti statuti et declarationis ac declarationem suprascriptam, vobis universis et singulis tam coniunctin quam divisim intimamus, insinuamus et notificamus ac ad vestram et cuiuslibet vestrum notitiam deducimus et deduci volumus per presentes. (35 bis v) In quorum testimonium presentes nostras literas sive hoc presens publicum instrumentum fieri fecimus ad fucturam rei memoriam et in libro Ragusine post statutum predictum immediate in publicam formam elevari. Datum et actum Padue in episcopali palatio paduano, in audientia nostra superiori, currentibus millesimo quadringentesimo quinquagesimo quarto, indictione secunda, die martis trigesimo mensisi iulii, presentibus discretis viris ser Simone quondam ser Petri de Regio domicello nostro et domino Antonio quondam magistri Nicolai barberii clerico venerabilis viri domini presbiteri Artici rectoris ecclesie Sancti Mathei de Padua testibus ad hec habitis, vocatis specialiter et rogatis.

(S.n.) Ego Antonius quondam ser Petri de Capitervini de Vigizollo, civis et habitator civitatis Padue in quarterio Pontis Mollendinorum, centenario et contrata Sancti Leonardi de Padua, publicus imperiali auctoritate notarius et officialis episcopalis curie paduane, suprascriptis cassationi, irritationi et annullationi ac omnibus et singulis contentis et descriptis in suprascripto instrumento rogatus presens fui et in fidem premissorum me subscripsi sub meis signo et nomine consuetis.

INDIZIONE DELLA SINODO DEL 1455

1455, 2 aprile. Il vescovo di Padova Fantino Dandolo intima a tutti i chierici della diocesi di partecipare alla sinodo diocesana che si terrà in Padova l'11 aprile.

Relazione dell'affissione dell'editto alle porte della chiesa cattedrale.

Padova, Archivio curia vescovile, *Diversorum*, 28, f 50v.

(50v) Die mercurii secunda mensis aprilis 1455.

Citatio et adminitio facta per publicum edictum manu mea scriptum universis et singulis dominis abbatibus .. prioribus .. prepositis .. decanis, archypresbiteris .. archydiaconis, mansionariis .. custodibus .. plebanis .. viceplebanis .. capellanis aliarumque ecclesiarum rectoribus ac presbiteris et clericis quibuscunque iurisdictioni prefati reverendissimi domini episcopi subiectis, ut personaliter intersint sancte sinodo celebrande[iiiii] feria sexta infra octavam proxime Resurectionis dominice, que erit dies undecima mensis aprilis presentis, audituri et prosecuturi synodale concilium ipsa die XIª aprilis de mane coram prefato domino episcopo aut eius vicario, secundum institutionem sanctorum patrum, nec inde discessuri donec licentiam ab ipso domino episcopo aut eius vicario obtinuerint, apposita pena inobedientibus plebanis et superioribus clericis ac prelatis librarum XXV, capellanis vero et ceteris inferioribus clericis librarum X irremissibiliter auferenda.

Die suprascripta.

Rettulit Matheus preco se affixisse in foribus ecclesie predictum edictum, presentibus domino Benedicto de Pellatis et Domenico de Abbano officiale episcopatus.

[iiiii] *segue* die *cassato*.

INDIZIONE DELLA SINODO DEL 1456

1456, 24 marzo. Il vescovo di Padova Fantino Dandolo intima a tutti i chierici della diocesi di trovarsi a Padova il 7 aprile di mattina per partecipare alla sinodo diocesana tenuta dallo stesso vescovo o dal suo vicario.

Relazione dell'affissione dell'editto.

Padova, Archivio curia vescovile, *Diversorum*, 28, f 71r.

(71r) Die mercurii XXIIII martii 1456.

Citatio et admonitio facta per publicum edictum manu mea scriptum universis et singulis dominis .. abbatibus .. prioribus .. prepositis .. decanis .. archypresbiteris .. archydiaconis, mansionariis .. custodibus .. plebanis .. viceplebanis .. capellanis aliarumque ecclesiarumque rectoribus ac presbiteris et clericis quibuscunque iurisdictioni prefati reverendissimi domini episcopi subiectis, ut personaliter intersint sanctę sinodo celebrandę[jjjjj] feria 4 post octavam proxime Resurrectionis dominice, que erit dies VIIª aprilis de mane coram prefato domino episcopo aut eius vicario secundum institutionem sanctorum patrum, nec inde discessuri donec licentiam ab ipso domino episcopo aut eius vicario obtinuerint, apposita pena inobedientibus plebanis et superioribus clericis aut prelatis librarum XXV, capellanis vero et ceteris inferioribus clericis librarum X irremissibiliter auferenda.

Die suprascripta.

Rettulit Dominicus a Ratione officialis[kkkkk] episcopatus paduani se affixisse in foribus ecclesie predictum edictum, presentibus domino archypresbitero paduano et Thomasio campanario.

[jjjjj] *segue* die *cassato.*
[kkkkk] off *di* officialis *corretto sopra lettere illeggibili.*

INDIZIONE DELLA SINODO DEL 1457

1457, 9 aprile. Il vescovo di Padova Fantino Dandolo intima a tutti i chierici della diocesi di partecipare alla sinodo diocesana che si terrà in Padova nel palazzo episcopale il 27 aprile.

Relazione dell'affissione, avvenuta l'11 aprile, dell'editto alle porte della chiesa cattedrale.

Padova, Archivio curia vescovile, *Diversorum*, 28, f 93v.

(50v) Die suprascripta nona mensis aprilis.

Citatio et admonitio facta per publicum edictum manu mea scriptum de mandato prefati reverendissimi domini episcopi paduani sub eius nomine universis et singulis dominis .. abbatibus .. prioribus .. prepositis, decanis, archypresbiteris .. archydiaconis .. mansionariis .. custodibus .. plebanis, viceplebanis, capellanis aliarumque ecclesiarum rectoribus ac presbiteris et clericis quibuscunque iurisdictioni ipsius domini episcopi paduani subiectis, quod[IIIII] feria quarta post octavam Pasce, que erit dies mercurii vigesima septima mensis aprilis, de mane intersint in episcopali palatio paduano coram prefato domino episcopo pro sancta synodo dicta die celebrando_vel eius vicario, secundum institutionem sanctorum patrum, inde minime discessuri donec licentiam ab ipso domino episcopo aut eius vicario obtinuerint, apposita pena prefatis plebanis et superioribus clericis inobedientibus librarum XXV, capellanis vero ac ceteris inferioribus clericis librarum X irremisibiliter eis auferenda.

Die lune undecima mensis aprilis suprascripti. Rettulit Dominicus a Ratione officialis episcopalis curie paduane se de mandato prefati reverendissimi domini episcopi affixisse in valvis maioris ecclesie paduane suprascriptum edictum in forma sigillo suo pontificali munitum, presentibus venerandis viris dominis presbiteris Alexandro custode ac Leonardo teutonico capellano in eadem ecclesia testibus rogatis et aliis.

[IIIII] *segue* die *cassato*.

COSTITUZIONI DI FANTINO DANDOLO
1457 aprile 27, Padova

Biblioteca apostolica vaticana, Vaticano latino 4882, f 90r.

Già edito in F.S. Dondi dall'Orlogio *Dissertazione nona sopra l'istoria ecclesiastica padovana*, Padova 1817, documento XXXV, p 84-85.

(90r) Constitutiones editę et publicate in sancta synodo celebrata die vigesima septima mensis aprilis millesimo quadringentesimo quinquagesimo septimo, quinta indicione, per reverendissimum dominum Fantinum Dandulum, Dei et apostolice sedis gratia episcopum paduanum.

(1) De residentia quam facere tenentur sacerdotes in beneficiis curatis paduane diocesis.

Quoniam ad nos quampluries et diversis temporibus querelle venerunt quod sacerdotes qui in beneficiis sunt instituti habentibus curam animarum annexam non solum studiosam et laudabilem curam non gerunt ovium sibi comissarum, quando dispositione divina tangantur a Deo et sua misericordia visitantur, sed in necessitatibus et necessariis sacramentis ipsi sacerdotes minime satisfaciunt, sed ipsas personas languentes et ipsa sacramenta in ultima anxietate flagitantes penitus fugiunt, ipsam animarum curam deserentes more mercenarii qui, lupo veniente, fugit, oves ipsas faucibus luporum exponens[41], prout maxime tempore pestis quamplurimis accidisse constitit, ubi omnis pietas, omnis misericordia, omnis caritas, fides, patientia, bonitas inter christicolas periisse videtur; ideo statuimus et hac nostra constitutione in posterum valitura sancimus mandantes in virtute sancte obedientie et sub pena privationis omnium beneficiorum suorum, quam incurrere volumus ipso facto, ut omnes et singuli clerici beneficiati beneficiis habentibus curam animarum annexam, omni tempore maxime tempore pestis, quo potissimum opus est ecclesiasticis sacramentis, studeant competenter satisfacere, cum fuerint requisiti, omnibus requirentibus ecclesiastica sacramenta, nec ulterius aufugiant de parrochiis suis aut negligant suos parrochianos valitudine pestis percussos. Si quis vero contraire his nostris mandatis presumpserit, contra ipsum ad declarationem incursionis sue privationis beneficiorum suorum sine alia probatione[mmmmm], previa iusticia, procedemus.

(2) Quod nemo beneficiatus in diocesi, sine spetiali licencia domini episcopi in scriptis, admittat aliquem ad celebrandum in ecclesiis suis.

Pervenit ad nos et sepissime experti sumus quod nonnulli se pro clericis gerentes, cum sint laici, et nonnulli se dicant ordinatos, cum non sint, et alii ignari et infames aut excommunicati aut alias irregulares, deserentes proprias dioceses et parrochias se ad

[mmmmm] *nel testo* privatione.

dioceses transferunt alienas, ut, ubi de ipsis vera noticia habere non possit, beneficia valeant obtinere et celebrare divina vel potius fingere, cum nequeant aut nesciant celebrare, in grave preiudicium animarum, perniciosum exemplum et schandalum plurimorum. Quare precipimus omnibus archypresbiteris et quibuscumque rectoribus ecclesiarum in virtute sancte obedientie hac nostra constitutione mandantes, archypresbiteris et aliis prelatis sub pena XXV librarum, ceteris inferioribus sub pena decem librarum, ne presumant aliquem sacerdotem forensem admittere ad celebrandum in ecclesiis suis sine speciali licentia in scriptis facta, quam penam omnes et singulos supradictos incurrere volumus ipso facto totiens quotiens per ipsos fuerit contrafactum.

INDIZIONE DELLA SINODO DEL 1458

1458, 28 marzo. Il vescovo di Padova Fantino Dandolo intima a tutti i chierici della diocesi di trovarsi il 12 aprile di mattina nel palazzo episcopale per partecipare alla sinodo diocesana.

Relazione dell'affissione, avvenuta lo stesso giorno, dell'editto alle porte della chiesa cattedrale.

Padova, Archivio curia vescovile, *Diversorum*, 28, f 115v.

(50v) Die martis vigesima octava[nnnnn] mensis martii 1458.

Citatio et admonitio facta per publicum edictum manu mei Blasii cancellarii scriptum de mandato prefati reverendissimi domini episcopi paduani sub eius nomine universis et singulis .. dominis abbatibus, prioribus .. prepositis .. decanis .. archypresbiteris .. archydiaconis .. mansionariis .. custodibus, plebanis .. viceplebanis .. capellanis aliarumque ecclesiarum rectoribus, presbiteris et clericis quibuscunque iurisdictioni ipsius domini episcopi paduani subiectis, quod feria quarta post octavam Pasce, que erit dies XII mensis aprilis proxime secuturi, de mane intersint in episcopali palatio paduano coram prefato domino episcopo vel eius vicario pro sancta synodo dicta die celebranda, secundum institutionem sanctorum patrum, inde minime discessuri donec licentiam ab ipsis domino episcopo vel eius vicario obtinuerint, apposita pena prelatis plebanis et superioribus clericis inobedientibus librarum XXV, capellanis vero ac ceteris inferioribus clericis librarum X, irremisibiliter eis auferenda.

Die martis suprascripta.

Rettulit mihi Blasio cancellario Matheus nuncius iuratus episcopalis curie paduane se in foribus maioris ecclesie paduane affixisse et patenter inibi affixum dimisisse edictum suprascriptum, presentibus venerabili domino Hieronimo Michael archypresbitero paduano et Nicolao Stefani de Iadra familiari domini episcopi, testibus.

[nnnnn] va *aggiunto in sopralinea con segno di richiamo.*

§IV3f 1471-1472, IACOPO ZENO

COSTITUZIONI DI IACOPO ZENO

1471 agosto 17, Padova

1472 agosto 18, Padova

Biblioteca apostolica vaticana, Vaticano latino 4882, f 94v-95r.

Già edito in F.S. Dondi Dall'Orologio, *Dissertazione nona sopra l'istoria ecclesiastica padovana*, Padova 1817, documento XLV, p 100-103.

(1471)

(94v) Constitutiones editę et publicatę in synodo paduana celebrata die sabbati decima septima mensis augusti millesimo quadringentesimo septuagesimo primo, indictione quarta, per reverendissimum in Christo patrem et dominum dominum Iacobum Zeno, permissione divina ępiscopum patavinum et comitem saccensem dignissimum.

(1) Contra absentantes a beneficiis ultra quindecim dies sine speciali licentia.

Quom[ooooo] ita sit quod quamsepius contingat quod archiprsbiteri seu rectores aut capellani plebium et ecclesiarum parrochialium civitatis et diocesis paduanę, subiecti iurisdictioni nostrę, se absentent ultra quindecim dies ab ecclesiis eorum curę commissis pręter formam iuramenti per eos pręstiti in assecutione beneficiorum eorundem periurium incurrentes, non sine dispendio salutis animarum suarum et parrochianorum dictarum ecclesiarum incommodo ac detrimento, eapropter ad obviandum et occurrendum huiusmodi non parvo inconvenienti et ne cura animarum diutius negligatur et dispendium patiatur, hac generali et synodali constitutione sancimus et monemus primo, secundo, tertio peremptorie:[ppppp] nos Iacobus Zeno, permissione divina episcopus paduanus et comes saccensis, quod de cetero nullus archipresbiter, rector seu capellanus ecclesiarum parrochialium nostrę paduanę diocesis nostrę iurisdictioni subiectarum non audeat neque pręsumat se absentare ultra quindecim dies continuos a dictis beneficiis et ecclesiis sibi commissis sine speciali licentia nostra aut nostri vicarii in spiritualibus generalis in absentia nostra,[qqqqq] sub pena privationis ipsorum beneficiorum, quam si contrafecerint ipso facto incurrant absque alia nostra seu successorum nostrorum vel nostri vicarii in nostra absentia

[ooooo] =*cum*

[ppppp] et monemus p° 2° 3° peremptorie *in margine sinistro con segno di richiamo*

[qqqqq] in absentia nostra *in margine sinistro con segno di richiamo*

monitione, declaratione, pronuncia vel privatione, ita ut ex tunc ipsa beneficia ut vacantia per nos aut vicarium nostrum statim, elapsis dictis diebus quindecim, libere et absolute conferri, sine ipsorum beneficiatorum aut cuiuscunque contradictione et quovis impedimento vel iuris vel facti. Ita quod provisus etiam induci possit in corporalem dictorum beneficiorum possessionem, non obstante appellatione aliqua per ipsos interposita in qua possessione ipse provisus remanere possit et debeat ipsa appellatione interposita non obstante; et quod sic iurare quilibet debeat in assecutione beneficiorum sibi conferendorum.

(2) Contra nutrientes comam.

Item quia inolevit corruptela nullo modo ferenda, quod complures ex clericis nostrę diocesis comam nutriant et capillos et cincinnos usque ad collum promissos deferentes in maximum dedecus et opprobium ordinis clericaliis, eapropter constituimus et ordinamus quod nullus clericus nostrę diocesis cuiuscunque ordinis, status, gradus et condicionis existat, audeat seu pręsumat de cetero nutrire comam, aut sic ut supra deferre capillos et cincinnos longos, sed incedere debeant cum capillis incisis supra aures iuxta modum debitum et convenientem clericis; et hoc sub pena standi per unum mensem in carceribus idque totiens quotiens huic nostrę constitutioni contrafacere vel contraire reperti fuerint.

(95r) (3) Contra tenentes feminas suspectas in domo[rrrrr].

Item quod nullus sacerdos nostrę paduanę diocesis audeat seu pręsumat tenere feminas in domo sive suspectas sive non suspectas sine licentia nostra vel vicarii nostri speciali, et hoc sub pena contenta in costitutione domini Latini contra concubinarios, contenta in presenti volumine ad chartas XXII[42].

(4) Quod luminare continuo ardere debeat ante sacratissimum corpus domini nostri Iesu Christi[sssss].

Item, quia sunt complures ęcclesiarum rectores qui circa suarum ęcclesiarum regimen negligentius se habent, adeo quod multotiens ipsum etiam luminare quod continue ardere debet in ęcclesia ante sacratissimum corpus domini nostri Iesu Christi extinctum inveniatur in maximam eorum verecundiam et veluti irreverentiam quandam ipsius gloriosissimi corporis, eapropter volentes similiter huic inconvenienti occurrere, constituimus et ordinamus ac monemus omnes et singulos rettores ecclesiarum paduanę nostrę diocesis ad quos hoc spectat et pertinet quatenus curare debeant ut de cetero ante sacrum corpus prędictum domini nostri Iesu Christi in ecclesiis suis continue ardere debeat luminare prędictum, id quod sub pena unius ducati auri cuique sacerdoti contrafacienti eidem

[rrrrr] Contra … domo *di altra mano*
[sssss] Quod … Christi *di altra mano*

irremissibiliter auferenda et camerę nostrę episcopali applicanda, totiens quotiens fuerint inventi contrafacere, et inventa fuerint dicta luminaria non ardere ut supra, culpa vel negligentia prędictorum.

Et ego Daniel Sarracenus suprascripti reverendissimi domini episcopi patavini cancellarius ista constitutiones de mandato suprascripti reverendissimi domini episcopi in dicta synodo legi et publicavi, et hic manu propria annotavi ad futuram memoriam et in fidem me subscripsi.

(1472)

(1) Additio contra absentantes a beneficiis[ttttt].[43]

Additio ad ultrascriptam constitutionem contra absentantes a beneficiis, facta et publicata in synodo paduana celebrata die martis decimo octavo mensis augusti MCCCCLXXII, indictione quinta, ut infra videlicet que poni debeat post verbum in absentia nostra[uuuuu].

Et etiam obtenta licentia non audeat neque pręsumat se absentare ultra dictos quindecim dies ultra terminum in dicta licentia sibi per nos aut vicarium nostrum in nostra absentia concedendam ut supra.

(2) Contra deferentes caligas solatas[vvvvv].

Item, quod nullus sacerdos audeat vel pręsumat deferre galigas solatas sed deferre debeat sotulares sacerdotibus condecentes[wwwww] maxime in celebratione missarum, sub pena librarum XXV denariorum parvorum sibi irremissibiliter auferenda pro quolibet et qualibet vice et camere Christi pauperum applicanda.

Et ego Daniel Sarracenus cancellarius mandato.

[ttttt] *rubrica aggiunta da altra mano*
[uuuuu] in absentia nostra *sottolineato*
[vvvvv] *rubrica aggiunta da altra mano*
[wwwww] *segue* sub p *cassato*

IV3| 1488, PIETRO BAROZZI

INDIZIONE DELLA SINODO DI PIETRO BAROZZI

1488 maggio 13, Padova

1488, 23 aprile. Il vescovo di Padova Pietro Barozzi intima a tutti i chierici e ai religiosi della diocesi di partecipare alla sinodo diocesana che si terrà in Padova, nella chiesa cattedrale, dal 28 al 30 maggio dello stesso anno.

Padova, Archivio curia vescovile, *Diversorum*, 44, f 75r.
Già edito in P.GIOS, *L'attività pastorale di Pietro Barozzi*, Padova 1977, p 375.

Petrus Barrocius, Dei et apostolice sedis gratia episcopus paduanus et comes saccensis, universis et singulis reverendis dominis abbatibus, prioribus, guardianis, custodibus, archipresbiteris, archidyaconibus, decanis, plebanis, canonicis, primiceriis, sacerdotibus et clericis dyocesis nostrę paduanę, precipue autem animarum curam habentibus qui de iure vel consuetudine synodo interesse debent aut possunt, salutem et sinceram in domino caritatem. Quoniam, annuente Domino, synodum seu concilium episcopale celebrare intendimus die 28 mensis maii quae erit feria 4ª quattuor temporum incipiendum, et die 30 eiusdem mensis, nisi gravius aliquid incidet, finiendum, in quo de dignitate et disciplina ecclesiastica, de ministeriis divinis, de ecclesiasticis et sacerdotalibus gradibus, de correctione et reformatione morum in clero et populo tractabitur et querellę, si quę fuerint, ita tamen cum omni benignitate atque modestia proferantur, necnon ecclesiarum atque beneficiorum necessitates audientur et caritative secundum Deum aque iustitiam singula expedientur, remediis, prout unicuique morbo necessaria fuerint, adhibitis oportunis, ad hęc et canones atque constitutiones, precipue autem synodales atque officiorum libri, legentur et postremo religiosi commendabuntur; vos omnes et singulos citamus, requirimus et monemus ut ad suprascriptam diem, Paduę, in ecclesia nostra cathedrali ante missę magnę principium per vosmetipsos, preterquam si infirmitate aut alia canonica prepeditione, quo casu per nuntium cum excusatoriis litteris ad nos destinandum idipsum facere valeatis, interesse et, durante synodo, honeste domi ac foris, ita ut vestra conversatio merito sit cęteris in exemplum, vos habere, et non nisi ea perfecta discedere debeatis; parati, si sic necesse fuerit, de singulis tam civilibus quam criminalibus quęrellis respondere et nobis de officio et animarum cura quam geritis rationem reddere. Qui autem vestrum particulares quęrellas aut alia quecumque habuerit, soluta sinodo, poterunt remanere. Nos vero contra absentes, prout nobis iustum fuerit, procedemus e nihilominus cum his qui presentes fuerint, absentium

contumacia non obstante, suprascripta omnia pertractabimus. In quorum fidem et testimonium, presens nostrum edictum in valvis ecclesie nostrę cathedralis affigi et per oppida paduane dyocesis mitti, ut inde ad circumstantes pagos cum omni diligentia transmittant, mandavimus.

Die 23 aprilis 1488.

COSTITUZIONI DI PIETRO BAROZZI

1488 maggio30, Padova

Biblioteca apostolica vaticana, Vaticano latino 4882, f 101r-106r.

Già edito in F.S. Dondi Dall'Orologio, *Dissertazione nona sopra l'istoria ecclesiastica padovana*, Padova 1817, documento LII, p 119-130.

(101r) Constitutiones editę et publicatę in episcopali synodo paduana, die mercurii XXVIII mensis maii MCCCCLXXXVIII indictione VI in cathedrali ecclesia paduana celebrari incepta et die veneris XXX eiusdem mensis finita per reverendissimum in Christo patrem et dominum dominum Petrum Barrocium, Dei et apostolicę sedis gratia episcopum paduanum et comitem saccensem.

Et primo Petrus Barotius, Dei et apostolicę sedis gratia episcopus paduanus et comes saccensis, universis et singulis utriusque sexus, clericis simul et laicis, magnis mediocribus et parvis, diocesis paduanę iurisditioni nostrę subiectis, salutem et sinceram in Domino caritatem.

Ex eo tempore quo nos ad paduanę diocesis ministerium nullo merito nostro Dei, qui suscitare de pulvere egenum et de stercore erigere pauperem[44] consuevit, et apostolicę sedis gratia a bellunnensis ecclesię, cui quindecim totos annos et dimidium servieramus, administratione transferre dignata est, illud dies noctesque cogitavimus: ut qui curę et solicitudinis nostrę commissi sunt et, potissimum clerici, bene secundum Deum atque laudabiliter viverent, nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperaretur ministerium nostrum; cumque ob synodorum (quę singulis quibusque annis in unaquaque diocesi secundum decreta sanctorum patrum fieri debuerant[45]) desuetudinem et temporum (quę, ex quo ultima synodus Paduę celebrata fuit, intercessere[46]) diuturnitatem, non iuris pontificii scita solum, verum etiam constitutiones legatorum de latere, patriarcharum atque episcoporum, quę uno volumine non ita multum magno continentur[47], oblivioni traditę et quodammodo obsoletę forent, et in ipsis episcoporum costitutionibus nonnullę declarationis, quędam appositionis pęnę, alię vero limitationis egerent, aliquę etiam, habita pręsentium temporum ratione, eis addenda forent (nam secundum mores et tempora statuta variantur humana) et in his omnibus non nostro solius sed aliorum etiam iudicio niti vellemus, habito cum reverendo patre domino Michaele Ursino, eadem gratia polensi episcopo suffraganeo nostro, et venerabilibus dominis Leonardo Contareno et Donato de Salcis vicariis, Symone de Resinis archidiacono, Georgio Buzecareno, Antonio de Capitibuslistę, Ioanne de Roma et Nicolao de Castro, ecclesię nostrę cathedralis canonicis, omnibus pontificii iuris doctoribus,

maturo ac diligenti consilio, constitutiones synodales infrascriptas edidimus et in sancta synodo hac publicari atque ab omnibus iurisditioni nostrę subiectis inviolabiliter observari mandavimus.

(101v) (1) De servandis ultra illud quod in iure pontificio habetur, extravagantibus summorum pontificum, legatorum apostolicę sedis, patriarcharum aquilegiensium provincialibus et episcoporum paduanorum episcopalibus constitutionibus et statutis.

In primis igitur, memores eius quod per prophetam dicitur: "Lex domini immaculata convertens animas"[48] credentesque immo vero certissime scientes quod hii qui, Spiritu Sancto inspirante, ad honorem Dei et subiectorum utilitatem aliquid ultra illud quod in corpore iuris communis pontificii habetur statuerunt, Deo sic volente, illud statuerunt, statuimus et ordinamus ut extravagantes summorum pontificum, maxime quę in volumine statutorum nostrorum registratę sunt, itemque legatorum apostolicę sedis, quę in eodem volumine continentur, et patriarcharum aquilegiensium provinciales ac Ildebrandini, Petri Donati, Fantini Danduli et Iacobi Zeni episcopales constitutiones, quas etiam pręsenti statuto confirmamus et innovamus, ab omnibus nostrę iurisdicioni subiectis sub contentis in eis poenis involabiliter observentur. Cum his tamen declarationibus, poenarum appositionibus, limitationibus et additionibus episcopalium constitutionum tantummodo quas inferius describemus.

(2) De vita et honestate clericorum.

Quia clericorum non vita solum et conversatio sed habitus etiam et tonsura a laicorum conversatione debent esse discreta, et mali animi argumentum est ut quod quis est illud videri non velit, ad statuta domini Ildebrandini de vita et honestate clericorum[49] et domini Petri Donato de habitu quoad formam[50] addendo statuimus et statuendo addimus ut omnes iurisditionis nostrę clerici in sacris ordinibus et potissimum sacerdotio constituti, dum per civitatem paduanam et eiusdem diocesis oppida non in itinere gradiuntur, sacerdotale capitium et nullo genere stolam, quę et beccheta lingua vernacula dicitur, ferant sub pęna amittendi dictam stolam sive becchetam, inter accusatorem et vicarium nostrum aut, si clerici ecclesię nostre cathedralis fuerint, archipresbiterum paduanum dividendam. Quantum vero pertinet ad tonsuram, statuto domini Petri Donati quod deferant tonsuram addendo statuimus et statuendo addimus ut sacerdotes ad hostię unius quantitatem, in minoribus autem ordinibus constituti secundum suum quisque ordinem coronam ferat, sub poena solidorum octo totiens committenda quotiens fuerit contrafactum; quorum quatuor accusatori, quatuor autem vicario nostro aut, si clerici ecclesię cathedralis fuerint, (102r) archipresbitero paduano, qui eos ex officio suo radi curabit, dentur, omni exceptione remota. Et quia, secundum apostolum, vir, qui comam nutriat, ignominia est ei[51], unde clerico, et potissimum in sacris ordinibus constituto multo maior, eidem statuto adiciimus et

adiiciendo ordinamus ut vicarius noster aut, si clerici ecclesię cathedralis fuerint, archipresbiter memoratus curam habeant ut omnes clerici, pręcipue autem in sacris ordinibus constituti, tonsuram patentibus ad minus aurium foraminibus deferant, imponendo inobedientibus ultra poenam suspensionis per sex menses a percęptione fructuum beneficiorum quę habent, applicandorum camerę pauperum, de qua in dicto statuto habetur etiam aliam pęnam dividendam inter se atque tonsorem ut supra. Et casu quo vicarius negligens foret, archipresbiter, casu vero quo archipresbter negligens foret, vicarius omnia et singula in pręsenti statuto contenta servari facere possint et debeant.

(3) De rebus ecclesię non alienandis.

Ut ea quę per defunctorum liberalitatem ecclesiis et aliis religiosis locis relicta fuerunt per vivorum avaritiam vel prodigalitatem nullo modo dispereant, statuimus et ordinamus quod, ultra duo statuta domini Ildebrandini de rebus ecclesię non alienandis[52], constitutio sanctę memorię Pauli papę secundi incipiens uAmbitiosę cupiditatiu et alia eiusdem constitutio incipiens uCum in omnibus iudiciisu[53], prima die iuridica mensis ianuarii ad bancum iuris, quando maior ibi fuerit hominum multitudo, publicentur et ab omnibus observari mandentur. Et insuper statuimus et ordinamus ne quis laicus ecclesiarum bona scienter in suos indebite usus convertat, sive sint immobilia sive mobilia preciosa, sub poena dupli in ecclesiarum quarum illa fuerint usum vertenda.

(4) De monasteriis monialium non intrandis.

Statutum primum domini Ildebrandini episcopi paduani de monasteriis monialium non intrandis[54] in ea parte quę ingressum chori ecclesiarum earum interdicit declarantes limitamus et limitando declaramus quod intrantes chorum ecclesiarum ipsarum diebus dictarum ecclesiarum solemnibus, quando sanctimoniales in choro non sunt, excommunicationis, de qua in dicto statuto, sententiam non incurrant; dummodo impudicitię cum dictis sanctimonialibus facto, dicto vel aspectu exercendę causa non introeant (102v) vel alia quavis de causa ingressi facto, dicto vel aspectu cum eis impudicitiam non exerceant.

(5) De custodia Eucharistię et olei infirmorum, chrismatis et cathecumenorum.

In admonitionibus, quę ordinandis in subdiaconos fiunt, hec in primis apponi consuevit ut de oblationibus quę veniunt in altari, quę panes propositionis vocantur, tantum debeat in altari poni quantum possit populo sufficere, ne aliqud putridum in sacrario remaneat. Ob quam causam, scientes quod ad hoc multo magis sacerdotes tenentur, statuimus et ordinamus ut omnes iurisditionis nostrę[xxxxx] sacerdotes animarum curam et eucharistię administrationem in ecclesiis suis habentes si personaliter resident, alioquin hi qui eorum

[xxxxx] nostrę *in margine sinistro con segno di richiamo.*

vices gerunt, singulis quibusque primis dominicis mensium adminus eucharistiam infirmorum causa reservatam accipiant et novam parent, sub poena librarum quinque totiens committenda quotiens fuerit contrafactum, quarum medietas ei qui hoc patefecerit tribuatur et medietas alia camerę pauperum applicetur. Insuper, quia in pontificali libro ubi de consecratione olei mentio fit inter cętera demandatur ut pontifex attente presbyteris iubeat ut iuxta canonum institutionem chrisma et oleum tam cathecumenorum quam infirmorum fideliter custodiant et nulli sub pretextu medicinę vel maleficii tradere de ipso pręsumant; alioquin honore priventur. Volentes sanctum Ecclesię institutum, sicut tenemur, servare et nullo pacto permittere ut contra Dei ac Domini nostri pręceptum sanctum detur canibus et margaritę nostrę ante porcos mittantur[55], statuimus et mandamus ut demandationem suprascriptam omnes diligenter custodiant; contrafacientes autem, qui aliquo ecclesiastico sacramento abusi fuisse convincentur, ipso facto, laici quidem excommunicationis, clerici vero beneficiati privationis omnium beneficiorum suorum et exilii a civitate et diocesi paduana, non beneficiati vero carceris annui et post eum exilii pęnam incurrant.

(6) De celebrationi festi beati Danielis et quando et qui processionbus debeant interesse.

Volentes ita Deo et sanctis eius confessionis laudem exhiberi ut non propterea factis negentur, scientesque gratiorem esse illis animarum curam quam obsequium personale, ad statutum domini Ildebrandini de celebratione festi beati Danielis martyris addimus ut omnes iurisditionis nostrę clerici in suis ecclesiis diem festum prędicti martyris servent et a suis faciant subditis observari; visitare autem sepulchrum eius non teneantur nisi qui in civitate paduana residentiam faciunt, ne forte, dum a parochia sua longius absunt, aliquid in commissa eius plebe accidat mali, et multo minus teneantur processioni, quę ob eam rem Paduę fit, interesse. (103r) Sed processioni sacratissimi corporis Christi et exequiarum Domini, quę feria VI maioris ebdomadę celebrantur, et beati Antonii confessoris habentes in civitate paduana curam animarum interesse teneantur, sub poena librarum trium pro unaquaque dictarum processionum ab unoquoque persolvenda et inter paduanum archipresbyterum et cameram pauperum dividenda.

(7) De lucerna continuo ardere debente ante sacratissimum corpus Christi.

Constitutionis domini Iacobi Zeni episcopi paduani predecessoris nostri quod luminare continuo ardere debeat ante sacratissimum corpus domini nostri Iesu Christi[56], poenam quę, ut in dicta constitutione continetur, episcopali camerę applicari solebat, non nostris sed accusatoris et camerę pauperum usibus applicare; et ne alius pro alio puniatur statuere intendentes, declaramus prędictam poenam ab illis esse auferendam qui illuminationem eam ex antiqua consuetudine obligantur, sive sint laici ecclesiarum illarum parochiani sive clerici; quam absque ulla exceptione auferri et in usum accusatoris et camerę pauperum ęquis portionibus dividi volumus.

(8) Contra clericos concubinarios.

Quoniam non apud christianos solum, qui Christum virginem Virginis matris filium venerantur[57], verum etiam apud gentiles deorum impurorum cultores sacerdotum luxuria semper abominabilis fuit, et qui clerici fiunt ad hoc clerici fiunt ut aliquando ad sacerdotium promoveantur, statuta dominorum Latini apostolicę sedis legati contra concubinarios clericos[58] et Petri Donati primum[59] per omnibus et in omnia approbantes, declaramus eum esse concubinarium manifestum de cuius crimine constat per notorium facti et evidentam rei, quę nulla possit tergiversatione defendi, ut quando feminam in domo suspectam habuerit et filios ex ea super terram gradientes susceperit; vel per notorium iuris, ut si in iudicio sua sponte confessus; vel per testes aut alias probationes legitimas sit rite convictus; vel per sententiam quę in rem iudicatam transiverit conde(m)natus, contra quem sine ulla excusatione prefati domini Latini statutum executioni mittatur. Et si non fuerit beneficiatus aut beneficiatus fuerit sed non in paduana diocesis, condemnatus intelligatur ad standum per annum in carcere et ieiunandum sexta quaque feria in pane et aqua. Porro statuti domini Iacobi Zeni contra tenentes fęminas suspectas in domo[60] pęnam tamquam nimium duram et rigorosam mitigantes, statuimus (103v) et ordinamus ut nullus clericus nostrę iurisditioni subiectus teneat feminas suspectas in domo, sub pęna librarum decem, totiens committenda et inter accusatores dividenda quotiens fuerit contrafactum. Et intelligantur foeminę suspectę non solum habita ratione ętatis et pulchritudinis tam tenentis quam eius quę tenetur, sed etiam malę famę, ut si antea alteruter eorum male vivere consueverit, quod vicarii nostri arbitrio relinquatur.

(9) De clericis non residentibus.

Residere in sua quisque ecclesia per se ipsum tenetur sicuti per se ipsum fructus intendit colligere, maxime autem si beneficium curatum sit, cum et propter officium beneficium detur, et in unaquaque ecclesia eius cui collata fuit industria deligantur, et cum hi qui altario serviunt secundum apostoli dictum debeant vivere de altari[61], consequens esse videatur ut, qui altario servire non volunt aut non possunt, vivere de altari non debeant nec alterius qui ipse altari servire vellet et posset locum cum offensa Domini occupare. Quia tamen beneficia ecclesiastica ita sunt interdum tenuia ut unus paulo honestioris conditionis clericus ex uno sustentari non possit, et dispensationes super beneficiorum pluralitate ac interdum incompatibilitate a sede apostolica vel eius legatis vel etiam locorum ordinariis aliquibus conceduntur, quas ob eorum reverentiam servare et volumus et debemus, quandoque etiam rationem maioris utilitatis habere; et cum qui in suo beneficio alias libentissime resedisset, ut alterius vices gerat ac unius alicuius diocesis utilitatibus consulat arcessi necesse est, ad statutum domini Fantini Danduli de residentia quam facere tenentur sacerdotes in beneficiis curatis paduanę diocesis[62] et domini Iacobi Zeni constitutionem contra absentantes se a beneficiis ultra quindecim dies sine speciali licentia, una cum

additione quam in alia synodo fecit[63], addendo declaramus quod habentes animarum curam, si tempore pestis per se ipsos parochianorum suorum curam habere vel timent, quia fortasse timore trepidant ubi non est timor (non enim debet mors ea timeri quę ad eternam vitam aditum subministrat) vel ne alios parochianos suos inficiant ad visitandos eos qui pestilentia correpti sunt ire ob caritatem proximi nolunt, sacerdotem alium per nos vel vicarium nostrum examinatum et idoneum inventum conducant, qui correptos pestilentia visitet eorumque confessione audita eis absolutionem, eucharistiam et unctionem extremam cum benevolentia tribuens, animam Deo pro ecclesię instituto commendet. Qui (104r) vero neque per se neque per alium, ut supra dicitur, examinatum hoc fecerint, eos tamquam non pastores sed mercenarios, pęnę in statuto domini Fantini supradicto[64] contentę ipso facto volumus subiacere. Si vero non pestilentię causa sed vel quia plura huiusmodi beneficia habeant vel quia maioris utilitatis gratia, quominus residentiam faciant prohibentur, non resident, sacerdotem identidem alium per nos vel vicarium nostrum examinatum et idoneum inventum conducant, qui curam animarum in beneficio illo exerceat, sub privationis pęna supradicta, quam ipso facto incurrant. Nullus porro eorum absque nostra vel vicarii nostri licentia speciali se a beneficiis huiuscemodi curam animarum habentibus ultra quindecim dies absentet; aut, finito licentię tempore, per quindecim alios dies ab eis absit, nisi privationem, in dicto statuto domini iacobi Zeni contentam[65], mavult incurrere. Nos enim pro scandali quod ex absentia ista emerserit magnitudine, nisi iustas absentię suę causas allegaverit, ad privationem aut aliam maiorem vel minorem poenam, sicuti nobis visum fuerit, procedemus; utpote qui in hac re sic statutum domini Iacobi suspendamus, ut eo tamen quotiens oportuerit utendi nobis et successoribus nostris facultatem non auferamus.

(10) De postulando.

Sacerdotes, quamquam a sęcularibus negociis abstinere, ut ei placere possint cui se probaverunt, et lites omnibus modis fugere debeant, si tamen suas ecclesię et miserabilium personarum causas, quas ipsi potissimum curare tenentur, volunt scire, defendere, iudiciorum tam ecclesiasticorum quam sęcularum, non scientiam modo, verum experientiam quoque habeant necesse est. Unde statuto domini Petri Donato ne postulent in iudicio pro laicis[66] declarando addimus quod indifferenter possint pro omnibus tam personis quam causis postulare, pręterquam pro illis personis aut causis pro quibus intervenire, secundum iuris pontificii scita, non possunt. Ne vero quod ob publicam utilitatem permittitur in damnum alicuius redundet, statuimus et ordinamus ut nullus eorum, sive sit procurator sive advocatus, in iudicio ecclesiastico vel sęculari scienter suscitet iniustas lites vel per ignorationem a se vel alio suscitatas scienter defendat, sub pęna excommunicationis quam ipso facto incurrant et a qua non possint absolvi, nisi tam actori quam reo, qui ea de causa damnum passi fuissent, de damnis, expensis et interesse integre satisfecerint.

(11) De penitentiis et remissionibus.

(104v) Si unus plurium et multorum solus officia posset implere, honestum et utile putaremus ut unusquisque clericus saltem semel in anno pręlato sub cuius cura domicilium habet, vel de eius licentia alteri confiteretur ac de munu eius eucharistiam acciperet. Sed quia imperfectum nostrum, qui pręlati nominamur, agnoscimus et vel solam licentię concessionem difficilem esse cognoscimus, nedum confessionum auditionem statuti domini Petri Donato[67] quod teneantur prelato suo semel in anno confiteri, poenam mitigantes, eam nostro et successorum nostrorum arbitrio reservamus, contra eos, qui commode statutum prędictum servare cum possent noluerint, maiorem; contra eos vero qui cum vellent nequiverint, aut non multum commode quiverint, nullam vel minorem, secundum quod meruerint, imponendam. Damus autem clericis ecclesię cathedralis tantum licentiam ut a mansionariis, qui pro tempore fuerint et a nobis vel successoribus nostris curam animarum habuerint, audiri queant; et inter se mansionarii ipsi se audiant, quos vigore statuti pręsentis ad hoc deputamus, ita tamen quod concedere aliis facultatem sibi datam non valeant.

(12) De iis qui in fraudem clerici fieri procurant vel posteaquam facti sunt non ut clerici vivunt.

Multi, quod dolentes referimus, in sortem Domini procurant non ut Domino serviant sed ut inpunius gravissima queque commitant, facientes domum Domini asilum diaboli et speluncam latronum; ob quam causam ecclesiastica libertas persępe destruitur, semper autem cum pręlatorum invidia grandi defenditur, nonnumquam etiam, quod vel pecunia corrupti sontes dimiserint, aut minus quam equum erat punierint, vel tales pręlati existant quales eorum sunt clerici grandis illis ignominia, quę in ecclesiasticam dignitatem redundat, infertur. Nos igitur, volentes huic morbo quantum cum Deo possumus providere, statuimus et ordinamus ut nulli commendatitię ad ordines litterę prębeantur, nisi de quo verisimile sit quod non in fraudem illas exposcat; et tunc etiam non prębeantur nisi per ipsum prębere debentem, qui hoc nullo modo committere alteri possit, examinatis et approbatis, ita ut non ordinatoris sed eius qui commendatitias litteras prębiturus fuerit conscientia oneretur; scituri tot se apud districtum iudicem fore criminum reum quot vel in fraudem vel minus sufficienter fuerint ordinati. Si qui vero sine commendatitiis litteris ab non suo episcopo procuraverint ordinari, nisi forte apostolica auctoritate aut legatorum eius fuerint ordinati, (105r) et executione ordinis eo modo accepti careant et pro unoquoque ordine sic accepto per unum mensem in carcere maneant.

(13) De non defendendis clericis coniugatis nisi certo modo.

Fieri persępe consuevit ut, qui cum perseverandi proposito auctoritate apostolicę sedis aut legatorum eius aut etiam ordinaria modo fuerant debito infra sacros ordines

ordinati, sententiam mutent et clericatu manente uxorem accipiant. Horum, si forte ob aliquod maleficium per sęcularem iudicem vel citentur vel capiantur, defensionem ab ecclesastico iudice non prius suscipi volumus quam ei manifeste constiterit quod cum unica tantum contraxerint et quod illa unica contractus tempore fuerit virgo. Nam alioquin bigami forent et omni privilegio clericali secundum statuta concili lugdunensis nudati[68] et quod, prout in fine primi capituli constitutionis eius quam Ragusinam vocamus[69] habetur, clericaliter vixerint, incedendo ad minus per mensem immediate pręcedentem secundum extravagantem Pauli papę II quę incipit "Clericorum excessus" [70] in habitu et tonsura.

(14) De pęnis clericorum ad forum ecclesiasticum per sęcularem iudicem remissorum exaggerandis.

Vetus beati Gregorii dictum est: "Tanto quemque humiliorem atque ad serviendum Deo promptiorem esse debere ex munere quanto se obligatiorem esse conspicit in reddenda ratione"[71]. Quod si generaliter de omnibus omnino hominibus verum est, ut certe est, multo de clericis sine dubio esse verius debet, qui ad eius ministerium assumpti dicere de semet ipsis meruerunt:"Dominus pars hęreditatis meę" et "Tu es qui restitues hęreditatem meam mihi"[72] et: "Dixi: Deus meus est tu, in manibus tuis sortes meę" [73] et rursus: "Tu es spes mea, portio mea in terra viventium" [74]. Unde et consequenter, quia tanto gravior eorum delictum existit quam hominum cęterorum ut culpę proportionetur pęna, et non sit aliquod dedecus culpę sine decore iustitię, gravius similiter puniendi sunt. Propterea addendo ad secundum capitulum constitutionis eius quę dicitur Ragusina, statuimus et ordinamus ut clericus ad forum nostrum remissum, postquam ob commissum contra laicum maleficium legitime convictus erit, si tale crimen commiserit propter quod laicus ille pecuniaria pęna secundum statutum communis Paduę in simili casu puniendus foret, condemnetur dicta pęna et tertia insuper prędictę poenę parte; si vero tale crimen commiserit propter quod laicus ille (105v) corporali poena secundum statutum communis Paduę in simili casu puniendus foret, condemnetur poena carceris et compendum, ieiuniorum panis et aque, ita quod verisimiliter facta inter poenam et poenam comparatione sicuti melius fieri poterit, excedat itidem tertia parte corporalem poenam laici, quam secundum prędictum statutum communis Paduę in casu simili luere debuisset. Porro, si tale crimen commiserit propter quod laicus ille ultimo supplicio secundum statutum communis Paduę in simili casu puniendus foret, condemnetur poena depositionis a beneficio et ordine et ad perpetuos carceres, ita quod intelligat se non supplicium mutasse sed iudicem, quandoquidem gravius interdum est tempore longo puniri quam cito interimi. Qui vero tale aliquid perpetraverit quod supradicta poena expiari digne non possit, si incorrigibilis videatur, degradetur et curię sęculari tradatur. Quod si non ob commissum contra laicum maleficium legitime convictus sit, ut quia contra clericum deliquerit vel aliquod tale crimen commiserit quod neque contra laicum neque contra clericum dici queat fuisse commissum, sic semper puniatur ut eius poena verisimiliter tercia

parte eam poenam excedat quam in simili casu secundum statuta communis Paduę laicus luere debuisset, ut qui male faciendi exemplum clericis prębuit, male quoque patiendi eis exemplum relinquat; et poenarum metu reliqui aut clerici fieri non procurent aut, facti clerici, ut clerici vivant, si non virtutis amore vivere innocenter volunt, et non tot tantęque inter ecclesiasticos et sęculares iudices talium hominum causa, cum inhibitio sit et ad forum ecclesiasticum remittuntur, controversię oriantur.

(15) De pęnitentiis et pęnitentibus remittendis ad maiores pręlatos.

Duo sunt que in constitutione domini Latini apostolicę sedis legati sub titulo "De poenitentiis"[75] demandantur: alterum ut episcopi unum vel plures pęnitentiarios habeant bonos atque discretos, qui propter graviora crimina aut excommunicationum sententias ab inferioribus presbyteris ad se remissos, quos interdum ipsi audire non possunt, absolvant; alterum vero, ut graviores casus, in quibus ad episcopos penitentes remitti debeant, ipsi in suis synodis, ne a presbyteris inferioris ignorentur, determinent. Nos igitur utrumque exequi, quantum cum deo possumus cupientes, ambos vicarios nostros, qui sunt et pro tempore fuerint, ad huiuscemodi crimina graviora ab remissis audienda et absolutionem nostro nomine impendendam deligimus, quamquam et per nos ipsos hoc idem, quotiens per negotia publica potuerimus, libentissime facturi sumus. Casus vero, ultra eos qui in constitutionibus (106r) synodalibus prędecessorum nostrorum dominorum Ildebrandini, Petri, Fantini et Iacobi episcoporum paduanorum[76] et nostris continentur, nobis infrapositos reservamus, solennem videlicet pęnitentiam, eam quę cum solennitate in capite quadragesimę fieri nec nisi pro crimine publico et vulgatissimo (quod totam commoverit civitatem, oppidum vel vicum) indici consuevit; excommunicationem a canone in casibus illis in quibus episcopus potest absolvere; incendium; crimen publicum, sicut in blasphemante; votum; oppressionem filiorum a parentibus propriis; homicidium purum, sacrilegium; falsum; violationem immunitatis ecclesiasticę; sortilegia; vicium contra naturam et maxime cum brutis; incestum; sanctimonialium corruptionem; restitutiones ablatorum, subtractorum vel aliter illicite acquisitorum; periurium in iudicio factum et clandestinos matrimoniorum contractus.

(S.N.) Ego Melchior Lovato quondam ser Antonii publicus notarius et prębibati reverendissimi domini Petri Barrocii episcopi patavini scriba, has constitutiones legi et in sancta synodo de eius mandato clare et aperte ad intelligendum publicavi, die veneris XXX mensis maii 1488, indictione 6, in ambone stans qui in choro ecclesie cahedralis est. Pręsentibus omnibus qui ad synodum fuerant congregati, et pręcipue venerabilibus dominis Leonardo Contareno vicario, Thadęo Quirino archipresbitero, Symone Resino archidiacono, Alexandro Bono, Georgio Buzecareno, Antonio de Capitibuslistę, Iohanne Romano, Nicolao de Castro canonicis paduanis, decretorum doctoribus.

[10] Cfr Ecl 2,13-14
[11] Cfr Ioa 10,1
[12] Cfr Ioa 10,14
[13] Un riferimento è certamente a Act 8, 9-24
[14] Cfr Mansi, XXIV, col 250
[15] Cfr Ecl 19,27
[16] Per la questione dell'attribuzione di tali costituzioni si cfr §III3 e §III4.
[17] Il riferimento è alla costituzione "Ad constitutionem de utentibus falsis probationibus additio supra a carta 6" del 1447 di Pietro Donato, contenuta al foglio 88v, per la quale si cfr §IV3d.
[18] Riferimento al decreto precedente.
[19] Il riferimento è alle costituzioni provinciali aquileiesi emanate dal patriarca Bertrando nel concilio provinciale del 1335 (edizione in Marcuzzi, *Sinodi aquileiesi*, p 342-347, in particolare p 343-345) e riprese nel concilio provinciale del 25-27 aprile 1339, due settimane dopo la sinodo diocesana di Ildebrandino (cfr Marcuzzi, *Sinodi aquileiesi*, p 174-180, in particolare p 176).
[20] Ioa 8,11.
[21] Questa parte della costituzione, ripresa da Ildebrandino, non si trova nell'edizione del Mansi, XXV, col 1139-1140.
[22] Il riferimento, peraltro generico, sembra riguardare le costituzioni dei legati Latino Malabranca (Bologna 1279) e Guido di Montfort (Padova 1350), nonché le costituzioni provinciali aquileiesi di Bertrando (1335 e 1339).
[23] "Ubi caritas et amor, Deus ibi est" è l'inizio dell'inno utilizzato come antifona nella liturgia della lavanda dei piedi il giovedì santo.
[24] Il primo decreto è senza titolo.
[25] Mansi, XXIV, col 254.
[26] La data del 1339 è evidentemente in relazione ad una copia di questa costituzione del cardinale Latino che in tale anno, sotto l'episcopato di Ildebrandino Conti, era stata fatta redigere, e che venne qui ricopiata.
[27] Si cfr il decreto 22 del Concilio di Vienne (1311-1312), in COD, p 378-379.
[28] Mat 15,14.
[29] Non sembra riferirsi al non ancora concluso concilio di Basilea,.
[30] Non sembra riferirsi al non ancora concluso concilio di Basilea.
[31] Per questa costituzione e la successiva si veda l'introduzione alle costituzioni stesse: "Sequntur aliqua pro utilitate ecclesiarum civitatis et diocesis nostre paduane et subdictorum nobis clericorum honestate constituta".
[32] Pro 27,23.
[33] Segue della stessa mano la *distinctio* XXIII del Decretum Gratiani, *caput* III e IIII, riguardanti i costumi dei chierici; il Dondi le riporta nella sua edizione senza riconoscerle (Dondi, *Dissertazione nona*, doc XIII, p 43).
[34] Si fa forse riferimento alla costituzione 10 del 1433, o ad altra perduta.
[35] Si cfr le costituzioni dalla 5 alla 8 del 1433.
[36] Si cfr la costituzione 20 del 1433.
[37] Fa riferimento alla costituzione 4 di Ildebrandino Conti del 1339, contenuta al f 5v-6r dello stesso codice.
[38] Cfr Mat 13,25.
[39] Cfr Basilea, sessione XV, 26 novembre 1433, in COD, p 473.
[40] Per *Aloisium* si veda Rigon, *Clero e città*, p 258-260.
[41] Cfr Ioa 10,12-13.
[42] Si tratta di una delle costituzioni emanate nel concilio sovraprovinciale di Bologna del 21 settembre 1279 dal cardinale legato a latere Latino Malabranca, contenuta al f 22r-v dello stesso codice, riportata all'interno delle costituzioni sinodali provinciali aquileiesi del 1339 del patriarca beato Bertrando.
[43] Si cfr qui sopra la costituzione 1 del 1471.
[44] 1Sa 2,8
[45] Il riferimento è a Basilea, Sessione XV (26 novembre 1433), cfr Cod, p 473-476, in particolare p 473.
[46] Ovvero dai tempi di Jacopo Zeno (1460-1481), che tenne sinodi almeno negli anni 1471 e 1472.
[47] Il riferimento è allo stesso codice Vaticano latino 4882, ovvero il *Liber de catena* sinodale padovano.
[48] Psa 18,8
[49] Cfr *supra* §IV3b, decreto 4.
[50] Cfr *supra* §IV3d, anno 1446 decreto 2.
[51] 1Co 11,14
[52] Cfr *supra* §IV3b, decreto 6.
[53] Le decretali di Paolo II (1464-1471) "Cum in omnibus iudiciis", emanata l'11 maggio 1465 (cfr Vaticano latino 4882, f 92v) e "Ambitiosae cupiditati", emanata l'1 marzo 1468 (cfr Vaticano latino 4882, f 96v), rappresentano un importante punto di arrivo nella legislazione canonica in fatto di alienazione dei beni della chiesa; a proposito si veda Grazian, *La nozione di amministrazione*, p 62-66.
[54] Cfr *supra* §IV3b, decreto 8 (parte iniziale).

[55] Cfr Mat 7,6
[56] Cfr *supra* §IV3f, anno 1471 decreto 4.
[57] Cfr Dante, Paradiso 31,1.
[58] Mansi, XXIV, col 250.
[59] Cfr *supra* §IV3d, anno 1433 decreto 1.
[60] Cfr *supra* §IV3f, 1471 decreto 3.
[61] Cfr 1Co 9,13.
[62] Cfr *supra* §IV3e, anno 1457 decreto 1.
[63] Cfr *supra* §IV3f, rispettivamente anno 1471 decreto 1 e anno 1472 decreto 1.
[64] Cfr *supra* §IV3e, anno 1457 decreto 1.
[65] Cfr *supra* §IV3f, rispettivamente anno 1471 decreto 1 e anno 1472 decreto 1.
[66] Cfr *supra* §IV3d, anno 1433 decreto 9.
[67] Cfr supra §IV3d, anno 1433 decreto 22.
[68] Cfr costituzione 16 del secondo concilio di Lione (1274), in Cod, p 322.
[69] È la "costituzione" data da Niccolò IV alla chiesa di Padova nel 1290, risolutoria di un periodo di particolare attrito con il potere civile (cfr Dondi Dall'Orologio, *Dissertazione ottava*, doc XIX, p 40-47, in particolare p 41 per la parte qui richiamata; tali costituzioni sono presenti anche nel codice Vaticano Latino 4882, f 36r-41v, in particolare f 37v-38r per la parte qui richiamata).
[70] Decretale di Paolo II del 7 agosto 1468, riportata anche in Vaticano latino 4882, f 93r-94r.
[71] Gregorio Magno, *Homiliae in Evangelia*, *Homilia IX*, col 1106.
[72] Psa 15,5.
[73] Psa 30,15-16.
[74] Psa 141,6.
[75] Mansi, XXIV, col 251, costituzione IV.
[76] Il riferimento sembra essere, piuttosto che a specifiche costituzioni, in generale a quanto i predecessori di Barozzi potevano aver specificato in vari luoghi delle loro costituzioni.